Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

KW 224
C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47



Koninklijke
Bibliotheek
te 's Haage

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

CONTENTA
hujus libelli.

I.

SCotiæ Regni Topographia, è Georgio Buchanano Scoto, & Guil. Camdeno Anglo.

II.

Inſcriptiones antiquæ in Scotia.

III.

De animantibus quadrupedibus, volatilibus, aquatilibus Scotiæ, ex Hectore Boëthio.

IV.

De Scotorum priſcis recentibusque inſtitutis ac moribus, ex Hectore Boëthio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

V.

De commerciis Scotorum, & regni reditibus.

VI.

Scotiæ Regimen, ex Camdeno & aliis.

VII.

Catalogus Regum Scotiæ, ex Hectore Boëthio & Georgio Buchanano.

VIII.

De Fœdere Scotorum cum Francis, & officiis militaribus quæ in Francia exercuerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

I.

SCOTIÆ REGNI TOPOGRAPHIA.

E Georgio Buchanano Scoto, & Guil. Camdeno Anglo.

DIRIMITVR Scotia ab Anglis primum Tueda fluvio, Zeviota monte altiſſimo, & qua mons deficit, vallo non adeo pridem facto, ac deinde Eſca & Solvæo fluminibus. Citra hos limites à mari Scotico ad Hibernicum regiones hoc ordine jacent.

Marcia, in qua Bervicum oppidum nunc Angli tenent, ſiniſtrum Tuedæ latus attingit. Ad orientem Forthæ æſtuario, ad meridiem Anglia clauditur.

Ad occidentem ad utrunque Tuedę latus eſt Teviotia, à Tevioto amne nomen adepta. Zeviota monte dirimitur ab Anglia.

Camdenus. Terfidale, id eſt, Vallis ad Teſium ſive Teviotum fluvium. inter abruptas collium & cautium crepidines Angliæ proxima, à bellicoſa gente habitatur, quæ ob creberrima bella ſuperioribus ſeculis inter Scotos & Anglos, in militiam & repentinas ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

curſiones expeditiſſima. Tvveda vallem à ſe denominatam, ovibus, quarum lana in magno pretio, refertiſſimam interfluit.

Poſt hunc regiones non magnæ, Lidalia, Evia, Eſcia, à tribus fluminibus cognati nominis, Lidalo, Evo, & Eſca nominatæ.

Vltima Annandia,& ipſa ab Annando amne prope mediam dividente appellata, ſecundum Solvæum in mare Hibernicum decurrit.

Camdenus. Vulgo Annandale,id eſt, vallis ad Annam fluvium. Cujuſmodi ſint qui has limitaneas regnorum valles incolunt, abactores, Ioannes Leſleus, ipſe Scotus, & Epiſcopus Roſſenſis, dicit: Noctu turmatim per invia loca,perq; multos mæandros,è finibus ſuis exeunt.Interdiu in latibulis præſtitutis equos viresque ſuas recreant, donec eo tandem per tenebras, quo volunt, perveniant. Arrepta præda ſimiliter noctu per circuitus & devia duntaxat ad ſua redeunt. Quo quiſque peritior dux per illas ſolitudines, anfractus, & præcipitia media caligine & tenebris eſſe poteſt, is ut ingenio excellens majore in honore habetur:& tanta calliditate hi valent, ut rariſſime prędam ſibi eripi ſinant, niſi canum odo-

riſequo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

riſequorum ductu rectis ſemper veſtigiis ſe inſequêtium ab adverſariis nonnunquam capiantur. Cæterum ſi capti ſint, tanta eloquentia pollent, verborumque ſuaviſſime fluentium lenociniis, ut & judices ſimul & adverſarios quantumvis ſeveros, ſi non ad miſericordiam, ſaltem in admirationem & commiſerationem quoque vehementer permoveant.

Iam ut rurſus ad Fortham redeamus, is ab ortu Lothianam claudit: Cocburni ſaltus, & Lamyrii montes, eam à Marcia ſeparant. Contingit deinde paulum ad Occaſum inflexa Lauderiam, & Tuediam, alteram à Laudero oppido, alteram ab amne Tueda mediam ſecante. Tuediam ad meridiem & occidentem contingunt Lidalia, Nithia, Glottiana. Nithiæ Nithus amnis nomen dedit, per eam in mare Hibernicum labens.

Lothiana à Lotho Pictorum rege nominata. Ab oriente æſtivo finitur Fortha, ſive mari Scotico. Vallem Glottianam ſpectat ab occidente Hiberno. Hæc regio humanitatis cultu,& rerum neceſſariarum ad uſum vitæ copia cæteras longe præcellit. Quinq; amnibus irrigatur, Tina, utroque Eſca, (qui antequam in mare cadant, in unum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

alveum coëunt,)Letha, & Almone. Hi partim è Lamyriis, partim Pictlandicis montibus,in Fortham defluunt. Oppida habet Dumbarum, Hadinam, vulgo Hadintonam, Dalkethum, Edimburgum, Letham, Limnuchum.

Camden. Dumbar, caſtrum olim munitiſſimum, ſedes Comitum Marchiæ, ſæpius ab Anglis captum, & à Scotis receptum;ſed anno CIↃ IↃ LXVII, ex Ordinum authoritate, ne ſeditioſis eſſet perfugium, ſubverſum. Hadingthon, ſive Hadina, Tinæ fluviolo aſſidens, in planitie longe porrecta, quam foſſa alta & amplo muro ceſpititio exteriori,cum quatuor propugnaculis ad angulos, totidemque aliis ad murum interiorem,forma quadrata, communiverunt Angli. Dalkerth, Comitum Mortoniæ habitatio peramœna. Edenburgus, Hiberno-Scotis Duncaden: urbs hæc ſitu editiori, cœlo ſalubri & ſolo uberi, multis nobilium turribus circumpoſitis, & perennium aquarum fontibus emanantibus irrigua, ab oriente in occidentem mill. paſſ. porrecta,latitudine dimidio minore,univerſi regni caput jure optimo cenſetur,mœnibus firma,ædificiis publicis & privatis pulchra,frequens & celebris ex maritima opportunitate quam portus ad

Letham

Letham vicinus præbet. Ad Orientem palatium eſt Regium adjunctũ, ſainctæ Crucis monaſterio biceps, quod Rex David primus extruxit: cui in vinario feris cuniculis & leporibus referto mons impendet, ab Arthuro Britanno Cathedra Arthuri dictus. Ad occidentem vero præruptiſſima rupes celſum in cacumen elata aſſurgit, niſi qua urbem reſpicit: cui caſtrum imponitur crebris turrib9 ita validum ut inexpugnabile munimentum cenſeatur; quod Britanni Caſtle myned Agned, Scoti Caſtrum puellarum & Caſtrum virginum vocarunt, ab aſſervatis ibi olim regiis Pictorum puellis. Ad primum hinc lapidem Letha portus commodiſſimus; quem cum Deſſius Gallus in Edimburgi ſecuritatem operibus muniiſſet, multis eo cõfluentibus ex ignobili vico, in oppidum mox excrevit.

Magis ad occidentem jacet Glottiana, utramque Glottæ fluminis ripam complexa, quæ ob longitudinẽ in duas præfecturas dividitur. In ſuperiore præfectura collis eſt non admodum editus, è quo in tria diverſa maria flumina effunduntur, Tueda in mare Scoticum, Annandus in Hibernicum, in Deucaledonium Glotta. In ea urbes inſigniores ſunt, Lanarcum, & Glaſcua.

Hanc ab occidente Hiberno Coila contingit.

Vltra Coilam eſt Gallovidia. Ea ſeparatur à Nithia Cludano amne, tota fere in meridiem vergens, ac ab littore ejus, reliquum illud Scotiæ latus tegitur. Vniverſa pecoris, quam frumenti fertilior. Amnes habet in Hibernicum mare decurrentes, Vrum, Devam, Kennum, Cream & Luſſum. Nuſquam fere in montes attollitur, ſed collibus tantum frequentibus intumeſcit. In convallibus inter eos aqua reſtagnans innumeros prope lacus efficit, è quibus primis ante æquinoctium autumnale imbribus rivi augentur, unde multitudo incredibilis anguillarum deſcendit, quas accolæ naſſis vimineis exceptas ſale condiunt, ac non modicum inde quæſtum faciunt. Extremum lateris eſt Nonantum promontorium, ſub quo in oſtio Luſſi fluminis ſinus eſt, qui Ptolemæo Rerigonius vocatur. Et ex adverſo influit ex æſtuario Glottæ ſinus, vulgo lacus Rianus, Ptolemæo Vidogara: quod inter hos ſinus terræ procurrit, incolæ Rinum, hoc eſt, Gallovidiæ aciem appellant. Ab eiſdem Nonantum Mula, hoc eſt, roſtrum, ſive rictus, nominatur. Tota autem regio Gallovidia (nam Gallovid priſcorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

rum Scotorum lingua Gallum ſignificat) appellatur.

Camd. Gallovvay, medii ævi ſcriptoribus, Latinis Gallvvallia & Gallovidia, ab Hibernis, qui olim occuparunt, & ſe Gael ſua lingua contracte vocant, facta appellatione.

Infra Vidogaram à tergo Gallovidiæ leviter declinat ad Glottæ æſtuarium Caricta. Eam duo amnes interſecant, Stinſiarus, & Grevanus: uterque multis amœnis villis cingitur. Inter amnes, qua in modicos colles tumet, paſcuis fœcunda, nec infelix frumento eſt. Tota terreſtribus maritimiſq; copiis non modo ſibi ſufficiens, ſed vicinis multa ſuppeditans. Dunus amnis eam à Coila ſeparat, ortus ex ejuſdem nominis lacu, qui inſulam complectitur modicę arcis capacem.

Sequitur Coila, quam à meridie Gallovidia claudit, ab ortu æſtivo Glottianam attingit: ab occaſu Iruino fluvio à Cunigamia diſtinguitur: mediam Aera amnis dividit. Ad eum ſita eſt Aera, emporium non ignobile. In univerſum regio eſt feracior virorum fortium, quam frugum, aut pecorum: tota quippe tenui & arenoſo ſolo: quæ res hominum induſtriam acuit, & parſimonia vires animi & corporis confirmat.

Cuni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Cunigamia poſt hanc ad ſeptentriones procurrit, & Glottam ſubmovet, ac prope ad juſti amnis modum coërcet. Nomen regioni Danicum eſt, quod eorum lingua regis domicilium ſignificat: quæ res indicio eſt, eam Danos aliquando tenuiſſe. Proxime ad orientalem ejus plagam ſita eſt Renfroana, ab oppidulo in quo conventus ejus celebrari ſolent, appellata: vulgo Baronia dicta. Mediam eam ſecant duo amnes, quibus utriſque Carthus eſt nomen. Poſt Baroniam eſt Glottiana, ad utramque Glottæ ripam protenſa, & ipſa in plures juriſdictiones ob magnitudinē diviſa. Amnes nobiliores fundit: à læva Avennum, & Duglaſſum, qui in Glottam decurrunt: item à dextra alterum Avennum, qui Lothianam ab agro Sterlinenſi dirimit. Hi duo fluvii communem amnium appellationem loco proprii nominis acceperunt, quemadmodum in Vallia diverſa dialecto is, quem Avonem vocant.

Sterlinenſem agrum à meridie ſeparat à Lothiana Avennus, ab ortu æſtuarium Forthæ, donec paulatim ſeipſo minor ad juſtam fluminis magnitudinem redactus, prope Sterlinum pontem patitur. Secat regionem fluvius unus, qui memoratu ſit dignus,

Carron,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Carron, juxta quem aliquot vetuſta ſunt monumenta. Ad lęvam Carrontis duo terreni ſunt tumuli, hominũ opera (ut res indicat) ædificati: vulgo Duni pacis appellantur. Inferius autem ad eundem amnem ad duo fere millia paſſuum eſt ædificium rotundum ſine calce, ſed ſaxis aſperis ita conformatis, ut ſuperioris lapidis pars in inferiorem ſe inſerat, ita ut totum opus mutuo complexu & ſaxorum pondere ſe ſuſtineat, paulatim ab imo ad ſummum in arctum ſe colligens. Summa pars aperta eſt. Vulgus alium atq; alium uſum & auctorem ejus ædificii pro ſuo quiſque ingenio comminiſcitur. Ego certe aliquando conjectura fui inductus, ut crederem templum Termini fuiſſe, quod (ut accepimus) rotundum & ſuperne apertum ædificari ſolitum erat. Nonnihil etiam conjecturam noſtram juvare videbantur Duni pacis propinqui: quaſi facta ibi pace, cujus monimentum hi colles eſſent, quod illic terminum ſuæ ditionis Romani ſtatuiſſent. Neq; alia res me ab hac opinione deduxiſſet, niſi reſciſſem ex hominibus fide dignis, in inſula quadam compluria eſſe ædificia: cætera quidem ædiculæ, cujus meminimus, ſimilia, niſi quod majuſcula & laxiora eſſent. Duo item

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

in Roſſia ſimili forma ſunt ſacella. Ea res ſuſpendere ſententiam me coëgit, ac judicare, monumenta rerum geſtarum hæc eſſe, ac potiſſimum trophæa ac pene extra orbem terrarum, ut tuta ab injuria hoſtium eſſent, conſtituta. Sed certe ſive hæc trophæa ſunt, ſive (quod quidam ſuſpicantur) clarorum virorum ſepulcra, fuiſſe credo monumenta ad æternitatem memoriæ perpetuandam conſecrata, ſed ab hominibus indoctis incultiſque, ad ſimilitudinem illius ædiculæ, quæ eſt ad Carrontem, conſtructa.

Camden. Ninius hic arcum triumphalem à Caraulio erectam fuiſſe docuit; Ad ripam Carauni (inquit) domũ rotundam, politis lapidibus fornicem triumphalem in victoriæ memoriam erigens, conſtruxit, murumque reædificavit, & ſeptem caſtellis munivit.

A dextro Carrontis latere ager fere cætera planus in collem paulum prominet, medio fere ſpatio inter Dunos pacis & ædiculam: in eo ad ipſum anguli flexum modicæ urbis veſtigium adhuc apparet. Sed murorum fundamenta, & vicorum deſcriptio, partim cultu ruſtico, partim eruendis ad propinquas ditiorum villas conſtruendas lapidibus quadratis, confuſa eſt. Hunc

locum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

locum diſerte Beda Anglus Guidi vocat, atq; in ipſo valli Severi angulo collocat. Multi præclari ſcriptores Romani ejus valli meminerũt: multa veſtigia extant, multi lapides inſcripti eruuntur, quibus aut teſtimonia ſalutis per tribunos & centuriones acceptæ, aut ſepulcrorum inſcriptiones continẽtur. Et cum ab Adriani vallo (ut utriuſque veſtigia indicant) raro minus centum millibus paſſuum diſtet hoc vallum Severi ab eo quod ante Adrianus conſtruxerat; aut magna inſcitia fuit eorum, qui res Anglicas ſcripſerunt, ſi Latinos, qui hæc tradiderunt, non intellexerunt; aut incuria, qui dilucide tradita tam confuſe reddiderunt. Vtrumcunque ſit autem, res mihi digna eſt viſa, ſi non reprehenſione, ſaltem levi admonitione; præſertim cum ex monumentis jam dictis & Bedæ Angli hiſtoria ſatis conſtet, ibi aliquando inter Brittones & Scotos limitem fuiſſe.

Vltra Sterlinenſem agrum eſt Levinia, à Renfroana præfectura Glotta, à Glaſcuenſi Kelvino amne diviſus, ab agro Sterlinenſi montibus, à Taichia Fortha dirimitur: tandem in montem Grampium deſinit, ad cujus radices per vallem cavam Lominius lacus ſe explicat, viginti quatuor millia paſſuum

longus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

longus, octo latus. Supra viginti quatuor inſulas complectitur. Præter multitudinem aliorum piſcium habet & ſui generis eſu non inſuaves: pollacas vocant. Tandem erumpens meridiem verſus Levinum amnem, qui regioni nomen dedit, effundit: qui prope Britannodunum arcem, & eodem nomine oppidum, in Glottam ingreditur. Leviniæ partem extremam Grampii montis ultimi colles attollunt, ſinu maris exiguo, quem Gerlochum à brevitate appellant, interciſi. Vltra hunc eſt ſinus multo amplior, quem Longum vocant, à Longo, qui in eum cadit, fluvio. Is limes eſt inter Leviniam & Covaliam.

Camden. Vbi Levinus è lacu in Cluidam ſe exonerat, interponitur Al-cluid. ſic veteres dixerunt: poſteri Dumbritton, id eſt, Britannorum oppidum; & corrupte metatheſi quadam Dumbarton vocarunt, eo quod Britanni diutiſſime contra Scotos, Pictos & Saxones tenuerint. Eſt enim propugnaculum ſive caſtrum & natura & ſitu totius Scotiæ munitiſſimum, & ad ipſos fluminum cõfluentes in herbida planicie rupi confragoſę & bicipiti affixum; in cujus altero vertice ſpecula eminet; in altero, qui humilior, crebra ſurgunt pro-

pugna-

pugnacula. Inter duos hos vertices ad latus ſeptentrionale aſcenſum habet unicum vix ſingulis pervium, gradibus magno labore per obliquam rupem excisis. Pro foſſis ſunt ad occaſum Levinus, ad meridiem Cluida, ad orientem cœnoſa planities, quę, oceani æſtu accedente, aquis tota integitur; ad ſeptentriones ipſo acclivi ſitu tutiſſimum.

Ipſa Covalia, Argathelia, ſeu potius Ergahelia, & Cnapdalia, multis ſinubus anguſtis ex æſtuario Glottæ infuſis, in multas partes dirimuntur. Vnus inter cætera inſignis lacus Finis vocatur, à Fino fluvio, quem recipit.

Camdenus. Lacus Fin halecum ſuo tempore ad miraculum feraciſſimus. Is ultra ſexaginta millia paſſuum in longitudinē porrigitur. Eſt & in Cnapdalia lacus Avus, in quo eſt inſula exigua, & arx munita. Ex eo fluvius Avus effunditur, qui unus in illis regionibus in mare Deucaledonium exit.

Vltra Cnapdaliam ad occidentem Hibernum excurrit Cantiera, hoc eſt, regionis caput, Hiberniæ occurrens, à quo modico freto dirimitur. ipſa longior quam latior, adeo arctis faucibus Cnapdaliæ conjungitur, ut vix mille paſſus expleant, idque ſpacium nihil aliud quam arena ſit, adeo humilis, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

per eam naviculis traductis nautæ plerunque navigandi compendium quærant. Hanc attingit Lorna Argatheliæ adjacens, & uſque ad Abriam pertinens, regio plana, nec infœcunda.

Camd. Lorna generoſi hordei ferax, vaſto lacu Leave diviſa. ad hunc eſt Bergomum caſtrum; in quo olim juſtitiæ forum, & haud procul Dunſtafag, id eſt, mons Stephani, quondam Regum habitatio; ſupra quod lacus Aber in terram tam longe ex occiduo mari ſe inſinuat, ut lacui Neſſo, qui in orientalem oceanum ſe emittit, niſi anguſto ſpatio montes interpoſiti diremiſſent, confluxiſſet. In hac celeberrimum eſt Tarbar in Logh-Kinkeran, ubi parlamentaria autoritate Iacobus quartus Iuſtitiarium & Vicecomitem conſtituit, qui auſtralium inſularum incolis jus adminiſtraret.

Qua Grampius mons humilior eſt, & magis pervius, Braid Albin regio vocatur, hoc eſt, quaſi altiſſimam Scotiæ partem dicas. Ac ubi maxima pars illa attollitur, Drum Albin, id eſt, Scotiæ dorſum, vocatur, nec omnino ſine cauſſa. Ex eo enim dorſo flumina in utrunque mare decurrunt, alia in ſeptentrionem, alia in meridiem.

Camd. Incoluit has regiones genus homi-

hominum incultum, pugnax & inprimis maleficum; Highlandmen vulgo vocatur; qui vera ſoboles priſcorum Scotorum. Hibernice loquuntur; ſe Albimich vocant; corpore firmo & compacto, robore valido, pedibus pernices, animis elati, bellicis exercitiis, ſeu potius latrociniis, innati, & ad vindictam odio capitali projectiſſimi. Hibernicorum more virgatis ſagulis induti, capillitio denſo & longiori. Venatu, piſcatione & prædatione vivunt. In bello caſſide ferrea, lorica ferreis annulis cõtexta, arcubus & hamatis ſagittis, & machæris utuntur latioribus, atque per gentes, quas Clannes vocant, diviſi, ita immaniter graſſantur prædando, cædendo, ut ipſorum effera crudelitas legem extorſerit, qua liceat, ſi quis ex aliqua illorum gente damna intulerit, quicunque ex illa gente captus fuerit, aut damna reſarciat, aut capite luat.

Ex Ierno lacu Iernam fluvium in orientem Hibernum fundit, qui in Taum illabitur ad tria millia paſſuum infra Perthum. Ab hoc fluvio cognomen accepit ad utramque ripam affuſa, vetere Scotorum lingua Strathierna dicta, Strat enim regionem ad fluminum decurſum jacentem appellare ſolent. Inter montes ejus regionis & Fortham

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

porrigitur Taichia, à Taicho fluvio, qui mediam ſecat, nomen adepta. Excipiunt eam Ocelli montes. Ipſi quidem magna ex parte, atque ager ad eorum radices adjacens, in Iernenſi præfectura cenſentur. Verum reliquum agri ad Fortham uſque ambitio in varias præfecturas diſſecuit, Clacmananam, Colroſſianam, & Kinroſſianam.

Ab his & Ocellis montibus quicquid agri à lateribus Fortha & Taus claudunt, in orientem anguſte cuneatur ad mare. Ea uno nomine vocatur Fifa, omnibus rebus ad uſum vitæ neceſſariis ſibi ſufficiens: qua lacus Levinus eam ſcindit, latiſſima: inde utrinque ſe colligens in anguſtum uſque ad Caraliam oppidum. Amnem unum, qui memoratu ſit dignus, Levinum fundit.

Camd. Terra fruges & pabula, carbonesque foſſiles, benigne profundit, mare præter alios piſces, oſtrea & conchylia affatim producit.

Totum littus frequentibus oppidulis præcingitur, è quibus maxime eſt memorabile propter bonarum artium ſtudia fanum Andreæ, quod priſci Scoti fanum Reguli appellant.

Camd. S. Andreæ urbs Archiepiſcopalis apertum oceanum proſpectat. antiquior loci appellatio Regimund, id

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

eſt, mons Reguli; Oengus quippe ſive Vngus Rex Pictorum Deo & S. Andreæ dedit ut eſſet caput & mater omnium Eccleſiarum in Regno Pictorum.

Interius in media fere regione eſt Cuprum, quo reliqui Fifani ad jus accipiendum conveniunt. Qua Ierniam contingit, eſt Abrenethium vetus Pictorum regia. Hic in Taum influit Ierna. Ipſe autem Taus è lacu Tao, qui eſt in Braid Albin, viginti quatuor millia longo erumpit, fluviorum Scotiæ facile maximus. Is ſe ad Grampium montem inflectens, Atholiam attingit, regionem fertilem, in ipſis Grampii ſaltibus collocatam. Ejus partem ſub radicibus montis in planitiem explicatam Blaram vocant, quæ vox liberum arboribus ſolum ſignificat.

Infra Atholiam ad dexteram Tai ripam ſita eſt Caledonia oppidum, vetus tantum nomen retinens, vulgo Duncaldem, hoc eſt, tumulus corylis conſitus. Corylus enim cum per inculta ſe latiſſime funderet, & ſilvarum opacitate agros tegeret, & oppido & genti nomen dabat. Caledones enim, aut Caledonii gens, olim inter Britannorum clariſſimas, alteram partem regni Pictorum faciebant, quos Ammianus Marcellinus in Caledones & Vecturiones

nes dividit, quorum nunc vix nominis veſtigium aliquod ſupereſt. Infra Caledoniam ad duodecim millia paſſuum in eadem dextra ripa eſt Perthum.

Camden. Vrbecula eſt elegans, ſitu amœno, inter duo vireta, & (licet ædes ſacræ nonnullæ exciſæ) ſplendida; ita diſtincta ut ſinguli artifices ſingulos fere vicos ſeorſim incolant; marinaſque commoditates Taus accedente æſtu naviculis ſubvehit.

Ad ſiniſtram ripam ſub Atholia ad orientem ſpectans, eſt Gorea frumentariis campis nobilis.

Camd. In hac & regione Perthi trans Taum Scona celebre olim monaſterium regibus Scotiæ inaugurandis venerandum viſitur. Ex quo Kennethus, Pictis in proximo ad internecionem occiſis, ſaxum ex Hibernia in Argatheliam tranſlatum Regibus Scotorum conſecrandis lignea cathedra incluſum hic collocaverit, quod Rex Edvvardus primus Angliæ VVeſtmonaſterium deferendum curavit. De quo vaticinium vulgo jactatum, quod nunc fidem invenerit, ut id genus paucula, ſubjungendum curavi.

Ni fallat fatum, Scoti, quocunque locatum (*ibidem.*
Inveniunt lapidem, regnare tenentur

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Et ſub hac iterum interTaum & Eſcam porrecta Anguſia, ſive, ut priſci Scoti loquuntur, Aeneia.

Camden. Genuinis Scotis Aaneia, campos tritici & omne genus frumenti feraces, amplos colles, lacus, ſaltus, paſcua & prata, expandit, plurimis arcibus & caſtris condecorata.

Sunt qui Horeſtiam, aut juxta dialectum Anglorum Foreſtiam dictam putent. In ea ſunt urbes Cuprum, & quod Boëtius patriæ ſuę gratulans ambitioſe Deidonum vocat. Vetus enim nomen Thaodunum fuiſſe reor, à Duno, id eſt, colle ad Taum ſito, ſub cujus radicibus oppidum eſt extructum. Extra Taum ad 14 millia paſſuum recto litore occurrit Abrenethea, alio nomine Abrinca. Deinde Rubrum promontorium ſatis longe conſpicuum. Eſca fluvius cognomento Auſtralis mediam ſecat: alter Eſca ſeptentrionalis eam à Mernia dividit. Ea ex magna parte ſolo eſt campeſtri & plano, donec ultra Fordunum & Dunotrum comitis Martialis arcem occurrat Grampius, paulatim ſe demittens, & in mare ſubſidens.

Camd. Mernia regiuncula mari Germanico obverſa pingui gleba ſatis librata camporũ jacet planitie. Maxime autem memorandum eſt Dunnotyr

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

caſtellum arduæ & inacceſſæ rupi è qua mare deſpectat impoſitum; mœnibus firmis, turribus intercurrentibus communitum; quod diu Keithi è familia veteri & ſplendidiſſima tenuerunt, qui virtute duce conſecuti ſunt, ut ſint Comites Mareſcalli Regni Scotiæ hæreditarii, hujuſque provinciæ Vicecomites.

Vltra eam ad ſeptentriones eſt Deuç, vulgo Deæ fluminis oſtium: & plus minus mille paſſus ulterius Dona. Ad alterum Abredonia eſt, ſalmonum piſcatu nobilis: ad alterum epiſcopi ſedes, & ſcholæ publicæ omnium ingenuarũ artium ſtudiis florentes. Hanc citeriorum invenio vetuſtis monumentis Abredeam appellatam. Nunc utrunque oppidum Abredonia veteris & novæ cognominibus diſtinctum vocatur.

Ab hac tam anguſta fronte inter hæc flumina incipit Marria, ac ſeſe paulatim dilatans ad ſexaginta in longitudinem millia ſe protendit Badenacham uſque. Ea regio perpetuo dorſo continetur, & in utrunque mare flumina evergit. Badenachæ confinis eſt Abria, ad mare Deucaledonium modice prona, regio (ut inter Scotos) in primis copioſa maritimis & terreſtribus commodis. Eſt enim & frumentis & paſcuis

paſcuis in primis felix, & præterea nemorum umbris, & rivulorũ fontiumque amœnitate jucunda. Piſcium vero proventu adeo fertilis, ut nulli prope Scotiæ regioni cedat. Nam præter fluviatilium copiam, quam tot rivi ſufficiunt, mare longo canali per planum ſolum infuſum penetrat, ibique terræ paulo altiore margine coërcitum ſe latius diffundit, ac ſpeciem ſtagni, aut verius lacus, præbet: unde Abriam, id eſt, ſtationem, patrio ſermone appellant. Idem quoque nomen regioni circumcirca vicinæ dant. Qui Anglice loquuntur, utramque, hoc eſt, & ſinum illum maris, & regionem, perperam & abſurde Lochabriam vocant. Hæ tres regiones, Abria, Badenacha, & Marria, latitudinem Scotiæ inter duo maria complectuntur.

Ad plagam ſeptentrionalem proxima Marriæ eſt Buchania, Dona fluvio ab ea diviſa. Ea omnium Scotiæ regionum longiſſime ſe in mare Germanicum exporrigit. Paſcuis oviumque proventu admodum felix, cæteriſq; commodis ad vitam neceſſariis ſibi ſufficiens. Fluvii ejus cum ſalmonibus abundent, Ratram amnem tamen id genus piſcis non ingreditur. Eſt in ejus littore ſpelunca, cujus natura prætereun-

da non videtur. Aqua è naturali fornice guttatim deſtillans ſtatim in lapidũ pyramidas vertitur, ac niſi opera hominum antrum ſubinde purgaretur, ſpacium uſque ad fornicem brevi compleretur. Lapis autem qui ita gignitur, velut mediam naturam inter glaciem & ſaxum obtinet: eſt enim friabilis, neque ad marmoris duritiem unquam conſolideſcit. Nos cum Toloſæ eſſemus circiter annum ſalut. cIↃ IↃ XLIV, accepimus ex hominibus fide dignis, ſimilem per omnia huic ſpeluncam eſſe in proximo Pyrenæo.

Camd. Ingens etiam maſſa electri, quæ vel equi corpus magnitudine æquavit, haud multis abhinc annis in hoc littus ejecta. Succinum, gleſſum & chryſoelectrum hoc docti vocant; & Sotacus, ſuccum eſſe, qui ex arboribus in mare apud Britannos defluit & dureſcit, exiſtimavit; Tacituſque juxta ſenſit cum ſcripſit; *Fœcundiora nemora lucoſque, ſicut orientis ſecretis, ubi thura balſamaque ſudantur, ita occidentis inſulis terriſque ineſſe crediderim; quæ vicini ſolis radiis expreſſa atque liquentia in proximum mare labuntur, & vi tempeſtatum in adverſa littora exundant.* Serapio autem & recentioris ævi Philoſophi volunt, exoriri è terra bituminoſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

noſa ſub mari & juxta mare, ipſumque fluctus & tempeſtatem ejicere, partim piſces devorare.

Vltra Buchaniam ad ſeptemtriones duæ ſunt regiunculæ, Boina, & Ainia, quæ uſque ad Spæam flumen pertinẽt, qui ſeparat eas à Moravia. Oritur autem Spæa à dorſo Badenachæ, cujus meminimus: nec longe ab ejus fonte lacus eſt, unde erumpit Lutea, ac ſe in occiduum mare devolvit. Ad oſtium ejus ferunt oppidum nobile fuiſſe, à fluvio Enerluteam nuncupatum. Certe ſive terræ vicinæ ſpectes ingenium, ſive navigationis & ſubvectionis maritimæ commoditatem, locus eſt admodum emporio aptus. Priſci quoque reges has opportunitates ſecuti, aliquot ſeculis ibi habitaverunt in Evonia arce, quam nunc multis falſo perſuaſum eſt eſſe Stephanodunum. Ejus enim arcis rudera & veſtigium adhuc in Lorna monſtrantur. Sunt regiunculæ aliquot exiguæ inter Buchaniam & mare occiduum interjectæ: ſed cum nihil habeant inſigne ac narratu admodum memorabile, non eſt quod in eis explicandis immoremur.

Vltra Spæam uſque ad Neſſum ſequitur Moravia, olim (ut creditur) Varar dicta. Inter eos amnes oceanus Germani-

mani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

manicus, velut retro in occidentem terram agens, ſinu vaſto ejus laxitatem caſtigat. Tota quanta eſt hæc regio frugibus & paſcuis fœcunda, amœnitate vero, & fructiferarum arborum proventu, totius regni facile prima. Duo memoratu digna habet oppida, Elginam ad Loxiam amnem, qui nomen antiquum adhuc retinet, & Neſſum ad cognominem fluvium. Neſſus à lacu Neſſo longo viginti quatuor millia effluit. Aqua ſemper fere tepida, nec unquam ita frigida ut congelet. Quin & aſperrima hieme fragmina glaciei in eum invecta tepore aquarum brevi ſolvuntur. Vltra Neſſum lacum occidentem verſus octo millia continentis terræ protenduntur. Tantillum ſane eſt, quod obſtat, quo minus maria coëant, &, quod reliquum eſt Scotiæ, inſulam reddant. Nã quod ſpacii ab iis faucibus ad mare Deucaledonium interjicitur, fere ſinubus maris in terram irrumpentis eſt interciſum. Quod ultra Neſſum & fauces illas anguſtas eſt interjectum, in quatuor provincias ſolet dividi, Naverniam, ſeu, ut vulgo, Stranaverniam, à flumine Naverno dictam.

Vltra oſtium Neſſi, qua mari Germanico immergitur, eſt Roſſia, in mare promontoriis altioribus excurrens, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

quod & nomẽ ipſum indicat. Ros enim Scotis promontorium ſignificat. Ea tota longior eſt, quam latior. Nam à mari Germanico ad Deucaledonium porrigitur, qua in montes attollitur, aſpera & inculta: qua ſe in campos explicat, frugum fertilitate nulli prope Scotiæ agro inferior. Valles habet amœnas, piſcoſis amnibus irriguas: lacus piſcoſos complures, ſed maximum omnium Lubrum. A mari Deucaledonio littus paulatim ſe caſtigat, & in Orientem æſtivum reflectit. Ab altero littore mare Germanicum, inter rupium excelſarum ſcopulos iter ſibi pandens, interius in ſinum ſe ſpacioſum explicat, adverſus omnes tempeſtates portum ſalutiferum, ac certũ perfugium. Eſt enim ingredientibus non difficilis aditus, intus vero adverſus omnes cœli mariſq; injurias tutiſſima ſtatio quantumlibet magnis claſſibus.

Proxima Roſſiæ extremæ ſeptentrionem verſus eſt Navernia, à Naverno amne appellata: quam vulgo proprietatem ſermonis patrii ſecuti Stranaverniam appellant. Eam à meridie Roſſia claudit, ab occaſu & ſeptentrione mare Deucaledonium eam alluit, ab oriente Cathaneſiam contingit. Sutherlandia his omnibus ita interjecta eſt, ut omnibus

bus ſit finitima, atq; ab aliqua regione cœli eas contingat. Nam ab occidente Stranaverniam, à meridie & oriente Roſſiam, à ſeptentrione Cathaneſiam habet objectam. Cultores magis ex natura regionis paſcuo quam arvo dediti. Nihil in ea quod ſciam ſingulare, niſi quod montes candidi marmoris habet, rarum in regionibus frigidis miraculum, & prope in nullos uſus comparatum, quod nondum ejus affectatrix luxuria eo immigrarit.

Cathaneſia ultima ad ſeptentrionem Scotiæ regio eſt, qua in plaga ei Navernia occurrit: hæque duæ regiones Scotiæ latitudinem in frontem anguſtam contrahunt. In ea fronte tria attolluntur promontoria. Altiſſimum in Navernia, quod Ptolemæo eſt Orcas, ſive Tarvedum: reliqua duo nequaquam æque ſublimia in Cathaneſia ſunt: Vervedrum, nunc Hoia: & Betubium, falſo Hectori Boëtio Dume appellatum, nunc Dunis Bei vulgo dicitur; alii Duncans Bei vocant. Ex hoc nomine aliquot litteris exemtis vox Dunis Bei facta videtur. Ad radicem collis ſinus eſt permodicus, quo portu naviculæ ab inſulis Orcadibus appulſæ utuntur. Sinus autem maris vulgo Bei vocatur. Hic igitur ſinus cum Duncani vel Donachi

nachi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

nachi ſinus à vicinis appellaretur, ex his vocabulis utcunque conjunctis ſermo popularis Dunis Bei effinxit. In hoc tractu Ptolemæus collocat Cornavios, cujus nominis adhuc veſtigia quædam reſtant. Arcem enim comitum Cathaneſiæ vulgo Gernico vocant. Nam qui Ptolemæo & exteris Cornavii ſunt, Britannis Kernici fuiſſe videntur. Nam cum non in hoc tractu modo, ſed in diverſiſſima inſulæ parte, nempe in Cornovallia, Cornavios ponat, eoſdem qui vetuſtum ſermonem Britannicum retinent, adhuc Kernicos vocant. Ac fortaſſe non abſurde judicabit, ſi quis Cornovallos pro Kernicovallis, id eſt, Kernicis Gallis dictos exiſtimaverit. Videntur & in media inſula, obſcura quidem illa, ſed hujus tamen nominis veſtigia remanſiſſe. Valli enim Severi initium ſcribit Beda non procul abeſſe à cœnobio Kebercurnig. & monaſterii quidem illic nullum indicium in illis locis eſt relictum. Manet autem non procul illinc ſemidiruta Duglaſſiorum arx, Abrecornum nomine. Horum autem vocabulorum utrunque, an alterum ſit à Kernico corruptum, lectori dijudicandum relinquo.

Reſtat ut nunc de inſulis aliquid dicamus. (quæ pars hiſtoriæ Britannicæ

maxi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

maximis erroribus eſt implicata.) Sed omiſſis vetuſtioribus, à quib⁹ nihil certi nobis eſt traditum, quæ ab hominibus noſtri temporis & verius & apertius ſunt prodita, proſequemur. Inſularum omnium, quæ Scotiam veluti coronant, tres fecerunt vel claſſes, vel ordines, occidentales, Orcadas, & Zelandicas. Occidentales appellant, quæ ab Hibernia pene ad Orcades, in mari Deucaledonio lateri Scotiæ occidentali prætenduntur. Eas, qui nunc aut patrum ætate aliquid de rebus Britannicis ſcripto evulgarunt, Hebridas appellant, nomine certe novo, & cujus nullam originem aut veſtigium è ſcriptoribus priſcis oſtenſtunt. In illo enim maris tractu alii Aebudas vel Aemodas collocarunt: ſed tanta inter ſe inconſtantia, ut vix unquam in numero, ſitu, aut nominibus conveniant. Straboni (ut ab antiquiſſimo incipiam) fortaſſe venia danda ſit, quod ea parte orbis nondum ſatis explicata, famam incertam ſecutus videri poſſit. Mela Hemodas ſeptem, totidem Martianus Capella Acmodas, Ptolomæus & Solinus quinque Aebudas, Plinius ſeptem Acmodas & triginta Aebudas numerat. Nos in nominibus frequentiſſima antiquis retinebimus, Aebudaſq; omnes occidentales

tales inſulas appellabimus. Situm, & ſingularum naturas, commoditateſque, ex auctoribus, ut recentioribus, ita multo certioribus recenſebimus. In primis autem Donaldum Monroum ſequemur, hominem & pium & diligentem, qui eas omnes & ipſe peragravit, & oculis perluſtravit. Hæ vero in mari Deucaledonio ſparſæ jacent, numero ſupra trecentas & .... Ab ultimis uſque temporibus omnes Scotorum reges eas tenuerunt uſq; ad Donaldum Milcolumbi Tertii fratrem, qui eas regi Norvegiæ ceſſit, ut ejus opera in regno Scotorum adverſus jus faſque occupando adjuvaretur. Tenuere eas Dani & Norvegi circiter annos centum ſexaginta, donec ab Alexandro tertio Scotorum rege ingenti prælio victi eis ceſſerunt. Tentarunt interdum & viribus freti, & ſeditionibus adducti, ſe in libertatem vindicare, & ſibi reges creare. Regium enim nomen cum alii, tum non adeo pridem Ioannes è Donaldina familia uſurpavit. In victu, veſtitu, totaque rei domeſticæ ratione, antiqua utuntur parſimonia. Opſonatio illis eſt venatus, & piſcatio. Carnem aqua in omaſum aut cæſi pecoris pellem infuſa coquunt: in venationibus interim ſanguine expreſſo cruda veſcuntur. Pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

potu eſt jus carnium elixarum. Serum lactis aliquot annos ſervatum in conviviis etiam avide bibunt. Id potionis genus blaëdium appellant. Major pars aqua ſitim ſedat. Panem ex avena & hordeo (quæ ſola frugum genera in illis regionibus proveniunt) conficere non injucundum ex diuturno uſu peritia quadam adhibita conſueverunt. Mane ex eo paulum deguſtant, eoque contenti venantur: aut ſi quid aliunde operis eſt objectum, uſque ad veſperum cibo abſtinent. Veſte gaudent varia, ac maxime virgata. Colores amant, maxime purpureum, ac cæruleum. Majores ſagis verſicoloribus plurifariam diſtinctis utebantur, ut adhuc pleriſque mos eſt. Verum plures nunc magis fuſcas & ericæ frondes proxime imitantes, ne in ericetis cubantes luce florida veſtis agnoſci poſſint, ferunt. His involuti potius quam tecti, ſæviſſimas tempeſtates ſub dio tolerant, ac interdum nivibus obruti ſomnum capiunt. Domi etiam ſuæ humi cubant. Subſternunt ſilices, aut ericam, ſed hanc radicibus deorſum, frondibus ſurſum verſis: adeoque ſcite hac ratione lectos concinnant, ut mollitie cũ pluma certent, ſalubritate longe ſuperent. Erica enim naturali ſiccandi vi prædita ſu-

perva-

pervacuos humores exhaurit, nerviſque eorum moleſtia liberatis ſuum vigorem reſtituit, ita ut, qui veſpere languidi & laſſi decubuerunt, mane vegeti & alacres reſurgant. Omnibus non negligentia modo in culcitris, & ſtragula veſte, ſed affectatio inculti horroris & duritiei ſumma eſt. Si quando uſus aut neceſſitas eos in peregrinum ſolum trahit, culcitras & hoſpitum ſtragula humi provolvunt, ac ſuis veſtibus involuti ſe quieti componunt: ſoliciti videlicet, ne barbara illa (ut ipſi vocant) mollities patriam & ingenuam duritiem contaminet. In bello autem quibus corpora tegant, arma ſunt, caſſis ferrea, & lorica ferreis annulis confecta, plerunque ad talos uſque demiſſa. Tela adverſus hoſtem arcus & ſagittæ maxima ex parte hamatæ, ferreis utrinque barbulis eminentibus, quæ niſi vulnere late patefacto è corpore extrahi non poſſunt. Sunt qui enſibus latis aut ſecuribus pugnent. Loco tubæ tibia utuntur utriculari. Muſica maxime delectantur, ſed ſui generis fidibus, quarum aliis chordæ ſunt æneæ, aliis è nervis factæ, quas vel unguibus prælongis, vel plectris pulſant. Vnica autem illis ambitio eſt, ut fides multo argento exornent, & gemmis. Tenuiores pro gem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

mis cryſtallum adhibent. Accinunt autem carmen non inconcinne factum, quod fere laudes fortium virorum contineat: nec aliud fere argumentum eorum Bardi tractant. Vetere Gallorum ſermone paulum utuntur. Inſulæ circa Scotiam, quæ priſca utuntur lingua, quæque occidentales vocantur, ita fere ſe habent.

Prima omnium eſt Mana, falſo quibuſdam dicta Mona, ab antiquioribus Eubonia: à Paulo Oroſio Mevania, aut potius Mænavia. Priſca enim lingua Manim dicitur. Superior ætas oppidum in ea Sodoram appellabat, in qua inſulanorũ epiſcopus ſedem habebat. Aequo fere ſpacio ab Hibernia, Gallovidia Scotiæ, & Cumbria Angliæ provincia, ſita eſt. Viginti quatuor millia paſſuum in longum, octo in latum protenditur.

Proxima in æſtuario Glottæ ſurgit Aliſa, rupes ardua undique præter unum aditum præceps. Toto fere anno humano cultu vacua, niſi quod ſtatis temporibus navicularum ingens numerus ad aſellos piſcandos eo conveniat. Frequens eſt cuniculis, avibuſque marinis, eoque maxime genere anſerum quas ſolanas vocamus. Ex æquo fere ſpectat ad orientem Hibernum

Cari-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Carictam, ad occidentem hibernum Hiberniam, ad occidentem æſtivum Kinteram.

Ad viginti quatuor millia ab hac ſita eſt Arania, fere in ſeptentriones vergens: longa viginti quatuor millia, ſedecim lata. Tota in altiſſimos atq; aſperrimos montes aſſurgit. Sola maritima ora colitur. Mare, qua humilior eſt, irrumpens, in ea ſinum ſatis magnum facit, cujus aditum claudit inſula Molas. Itaque montibus undique ſe attollentibus, ac ventorum impetum frangentibus, portus navibus intus eſt tutiſſimus: & in aquis perpetuo tranquillis piſcatio adeo copioſa, ut, ſi quid ultra quam quod in unum diem ſit ſatis, capiatur, accolæ in mare, tanquam in piſcinam id projiciant.

Nec longe ab Araniæ littore jacet inſula exigua Flada, cuniculorum feraciſſima.

Bota, octo millia P. longa, quatuor lata, interius in æſtuario Glottæ ſita eſt, ab Arania (uti dictũ eſt) octo millia paſſuum ad orientem æſtivum diſtans. Ab occidente æſtivo abeſt ab Argathelia plus minus quingẽtos paſſus, ad orientem à Cunigamia ſex millia paſſuum. Tota fere humilis eſt, & frugib⁹ & paſcuis ſatis commoda. Vnam habet in-

ſulæ cognominem urbem, & in ea veterem arcem Roſaiam. Aliam habet arcem ad ſinum, qui ſermone patrio Cames, hoc eſt, Kampſos, vocatur.

Ad occidentem hibernum eſt inſula Mernoca, humilis, & pro magnitudine fertilis, & culta, mille paſſuum longa, quingentos lata.

Interius in æſtuario Glottæ ſunt Cumbra major & minor, modico ſpacio diremtæ: major frugum, minor platyceroton ferax.

A promontorio Cantera paulo plus mille paſſus abeſt Avona, id eſt, portuoſa: id cognomen adepta ab ſtatione navium: quod, cum Dani inſulas tenebant, ad eam claſſes eorum curſus dirigebant.

Ab eodem promontorio ad occidentem hibernum contra Hiberniæ littus porrecta eſt Raclinda.

Et à Kintera quatuor millia, exigua inſula Caraia: nec longe ab ea ſita eſt Gigaia, ſex millia longa, mille & quingentos lata. Ab hac, quatuor & viginti in longum porrecta abeſt Iura. Duodecim autem millia diſtat à Gigaia. Maritima cultu ſatis frequentia ſunt: interiora, ſilvis operta, cervorum varii generis copia abundant. Sunt qui exiſtiment eam antiquitus Deram fuiſſe

nomi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

nominatam : quod nomen cervum Gothico ſermone ſignificat.

Ab hac duo millia abeſt Scarba, ab oriente in occidentem quatuor millia paſſuum in longitudinem excurrens, mille lata : raris in locis ab hominibus culta. Aeſtus maris inter eam & Iuram tã violentus eſt, ut nec velis nec remis, niſi certis tempeſtatib⁹, ſuperari poſſit.

Poſt hanc multæ ignobiles inſulæ deinde ſparguntur, Bellach, aut Geniſtaria, Geuraſtilla, Longaia, utraque Fiola. Tres item Garvæ, cognominibus diſtinctæ; Culbrenina, Dumchonel, Luparia: Belnahua, Vikerana, Vitulina: Luinga, Seila, Seuna. Hæ tres proximæ pecore & frugibus ſatis fœcundæ Argatheliæ comitibus parent. Proxima his Sclata, quod è rupe ejus tegulæ, quas ſclatas vocant, excidantur. Deinde Naguiſoga, & Eiſdalfa, ac Skennia; & quæ vocatur Thiana, ab herba frugibus noxia, non diſſimili luteæ, niſi quod magis diluto ſit colore; & Vderga, & inſula Regia; mox Duffa, hoc eſt, nigra, atque inſula Eccleſię, & Triarcha. Deinde inſula Ardua, Humilis, & Viridis, & Ericea. Item Arboraria, Capraria, Cuniculacaria, & quæ Ocioſorum dicitur, & Abridica. Item Liſmora, in qua olim ſedes epiſcopalis Argatheliæ fuerat, longa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

octo millia paſſuum, lata duo. In ea præter communia cum cæteris commoda, metalla inveniuntur. Deinde Ovilia, & Siuna, inſula Trajectus, inſula Ovicularis. Item Flada, & inſula Saxi, & Greſſa, & inſula Magna, & Ardieſcara, & Muſadilla; & Bernera, olim ſacroſanctum aſylum dicta; ſilva taxi nobilis; Molochaſgir. Drinacha, ſpinis, ſambuco & magnarum ædium ruinis operta. Inſula Vici fabrorum, ſilvæ fertilis. Item Ranſa, & Kervera.

Maxima poſt Iuram ad occidentem eſt Ila, longa viginti quatuor millia, ſedecim lata, à meridie in ſeptentrionem porrecta: pecorum, frumenti, cervorum, item plumbi fertilis. Amnem aquæ dulcis habet, nomine Laiam, item aquæ marinæ ſinum, in quo inſulæ variæ. Præterea aquæ dulcis lacum, in quo eſt inſula Falangama dicta, olim omnium Inſulanorum regia, in qua inſularum regulus aſſumto nomine regio ſolebat habitare. Huic propinqua, ſed minor, eſt inſula Rotunda, cui etiam à conſilio nomen eſt inditum. In ea enim curia erat, in qua quatuordecim è primoribus jus aſſidue dicebant, ac de ſumma rerum etiam agitabant conſilia; quorum ſumma æquitas & moderatio pacem domi foriſque

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

præſtitit, & pacis comitem rerum omnium affluentiam.

Inter illam & Iuram ſita eſt inſula Parva, à cumulo lapidũ cognominata.

Ad auſtrale latus Ilæ jacent hæ deinceps inſulæ: Colurna, Mulmoris, Oſrima, Brigidana, Corsketa, inſula Humilis, Imerſga, Beathia, Texa, Ovicularia, Naoſiga, Rinarda, Cana, Tarſcheria, Achmarra, inſula Magna, inſula figuræ humanæ, inſula Ioannis, Stacbadis. Ad occidentalem Ilæ angulum Overſa. Ibi quoque fretum torrentiſſimum niſi certis horis impermeabile eſt navibus. Inſula Mercatoris: & ad occidentem æſtivum ſpectans Vſabraſta, & Tanaſta, & Nefa, & inſula Textoris, & ad octo millia ab Ila magis in ſeptentriones verſa Orvanſa, & ei proxima Porcaria, & quingentos paſſus ab Orvanſa Colvanſa.

Vltra Colvanſam ad ſeptentriones jacet Mulla, XII millia paſſ. diſtans ab Ila. Hæc inſula quatuor & viginti millia in longum, totidem in latum porrigitur: aſpera quidem illa, ſed frugum non infœcunda. Habet ſilvas frequentes, magnoſque cervorum greges, portumque ſatis tutum. Ex adverſo inſulæ Columbi habet duos amnes, ſalmonum fœcundos: alios item minores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

non omnino ſteriles: duos item lacus, & in ſingulis ſingulas inſulas, ſuasque in eis arces. Mare diverſis in locis irrumpens quatuor facit ſinus, omnes halecum abundantes.

Ad occidentem Hibernum ſita eſt Columbaria, ſive inſula columbarũ: ad orientem æſtivum Era: utraque pecori, & frumentis, & piſcatui commoda.

Ab iis duo millia paſſuum abeſt inſula D. Columbi, longa duo millia paſſuum, ſupra mille lata, fertilis quidem omnium, quę ea cœli plaga gignere ſolet, & veteribus, ut in ea gente, monumentis illuſtris: ſed D. Columbi ſevera diſciplina & ſanctitate clarior. Erant in ea duo monaſteria, alterum monachorum alterum monacharum: curia una, ſive (ut nunc loquuntur) parochialis eccleſia, multaque ſacella ex munificentia regum Scotorum, & regulorum inſulanorum. In cœnobio veteri D. Columbi inſularum epiſcopi ſedem ſtatuerunt, vetere domicilio, quod erat in Eubonia, ab Anglis capto. Remanet adhuc inter veteres ruinas ſepulcretum, ſive cœmeterium commune omnium nobilium familiarum, quæ in occidentalibus inſulis habitabant. Eminent inter cæteros tumuli tres, modicis intervallis diſtantes, tribus impo-

ſitis

ſitis domunculis in orientem verſis. In occidentali cujuſque parte lapis inſcriptus, quorum tumuli ſint, indicat. Qui medius eſt, titulum habet, TVMVLVS REGVM SCOTIAE. Ferunt enim, quadraginta octo reges Scotorum ibi fuiſſe humatos. In dextero inciſus eſt titulus, TVMVLVS REGVM HIBERNIAE. Quatuor enim reges Hiberniæ illic conditi fuiſſe dicuntur. Qui eſt in ſiniſtra parte, inſcribitur, TVMVLVS REGVM NORVEGIAE. Hujus enim gentis octo reges illic fuiſſe ſepultos, fama eſt. In reliquo cœmeterio ſeorſum claræ inſulanorum familiæ habent ſua conditoria.

Circa eam ſex proximæ inſulæ exiguæ, nec tamen infœcundæ, ab antiquis regib9 & inſulanorum regulis cœnobio Columbi donatæ fuerunt. Soa etſi ovibus cõmoda habet paſcua, major tamen proventus eſt ex avium marinarum incubatu, & maxime ex ovis. Proxima eſt Mulierum inſula, ac deinde Rudana, mox Reringa. Poſt eam Skennia quingentos paſſus à Mulla diſtans, Habet ſuum parochum: ſed parochiani magna ex parte in Mulla habitant. Littora cuniculis abundant. Ab hac mille paſſus abeſt Eorſa. Hæ omnes cœnobii Columbi monachis parent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Ab Eorſa duo millia abeſt Vlva, quinque millia paſſuum longa, frumento & paſcuis pro magnitudine fœcunda. Habet ſtationem navibus longis commodam. Auſtrali ejus lateri prætenditur Coluanſa. Agrum habet non infœcundum, ac ſilvam colurnam.

Ab hac fere trecentos paſſus ſita eſt Gomatra, duo millia longa, mille paſſus lata, à meridie in ſeptentrionem excurrens. Deinde à Gomatra quatuor millia paſſuum meridiem verſus Stafa, utraque portuoſa.

Quatuor ab hac millia paſſuum ad occidentem æſtivum recedunt duæ Kerniburgæ, major & minor, rupium ita circumvallatæ præcipitiis, & æſtu torrentiſſimo, ut naturali munimento induſtria adjuto ſint plane inexpugnabiles.

Ab his mille paſſus diſtat inſula, cujus terra fere tota eſt nigra, ex putribus vetuſtate ſilvis & muſco concreta. Ejus glebas ad uſum ignis deſiccant: inde dicta inſula Monadum: nam ita genus illud terræ vocant, quæ Anglico ſermone Moſſa dicitur.

Deinde Lunge, duo millia in longitudinem porrecta, dimidio minor Baca. Ab hac ad occidentem ſex millia recedit Tireia, octo millia longa, tria

lata,

lata, omnium inſularum omnibus ad vitam rebus neceſſariis longe copioſiſſima. Nam & pecore, & frumento, piſcatu, & marinarum avium fœtu abundat. In ipſa eſt lacus aquæ dulcis, & in ea vetus arx: habet & portum longis navibus non incommodum.

Hinc duo millia abeſt Gunna; & à Gunna pari ſpacio Colla, duodecim millia longa, duo lata, in primis fertilis. Nec procul hinc eſt Calfa, tota prope ſilvis operta. Poſt duę inſulæ cognominatæ Virides, major & minor. Item totidem eiſdem cognominibus ex adverſo promontorii Mullæ. Iacent non longe ab ea duæ inſulæ, cognominatæ Glaſſæ, hoc eſt, cæruleæ. Deinde Ardamridir, id eſt, alta inſula equitis. Deinde Luparia, ſive inſula luporum. Poſt eam inſula Magna.

A Colla inſula ſeptentrionem verſus protenditur ab oriente in occidentem ſedecim millia longa, ſex lata, montibus arduis & ſilvoſis aſſurgens Ruma; & quia raris in locis habitata eſt, aves marinæ paſſim in campis ova ponunt, quorum quantum libet quivis vere adulto colligit. In rupibus excelſis marini anſeres (de quibus ante à nobis dictum eſt) abunde capiuntur.

Ab ea quatuor millia ad orientem Hiber-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Hibernum eſt inſula Equorum,& ab ea quingentos paſſus Porcaria, pro magnitudine rerum neceſſariarum abundans. Nidificat in ea falco: habet & portum ſatis commodum. Non longe ab hac ſunt Canna & Egga, modicæ inſulæ, ſatis fœcundæ, poſterior etiam anſeribus marinis, quas ſolanas vocant. Deinde Soabretilla, venatui quam aliis vitæ commodis aptior.

Hinc à ſeptentrione in meridiem porrigitur Skia, omnium inſularum circa Scotiam maxima, XLII millia paſſuum longa, alibi octo, alibi duodecim lata, in montes pluribus locis ſe attollens; ipſi ſilvis, ſilvæ paſcuis abundant; campi frugum & pecorum fertiles: in his præter alia pecora greges equarum. Quinq; amnes habet majores, ſalmonũ fœcundos, multos etiam minores, nec eos ſalmonum ſteriles. Mare ab omni parte in terram penetrans, multos aquæ ſalſæ ſinus facit: tres præcipuos, tredecim item alios, omnes halecum fœcundos. Habet & lacum aquæ dulcis, & quinque arces. Inſula, priſcorum Scotorum ſermone Skianacha, hoc eſt, alata vocatur, quod promontoria, inter quæ mare ſe infundit, velut alæ ſe obtendunt. Vſus tamen obtinuit, ut Skia, id eſt, Ala, vulgo diceretur.

Circa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Circa hanc ſparſæ jacent inſulæ minores; Oranſa, frugibus & pecore; Cunicularia, nemoribus & cuniculis abundans: Paba, latrociniis infamis, quod in ejus ſilvis prædones transeuntibus inſidias locant. Inde Scalpa, octo millia ad æſtivum occidentem ſita: præter alia commoda magnos cervorum greges in ſilvis alit. Inter oſtium Caronis ſinus, & Raarſam, jacet Crulinga, ſtatio navibus tuta.

Et à Scalpa duo millia in ſeptentriones porrigitur Raarſa, ſeptem millia longa, duo lata; ſilvas habet Betuleas, & in eis cervos. Quingentos ab ea paſſus eſt Rona, ſilvis & erica operta. Portum in intimo ſinu habet latrociniis infeſtum prætereuntibus, inſidiis tegendis aptum: & in ſinus (qui à brevitate Gerloch vocatur) ore eſt ejuſdem nominis inſula. Et à Rona ſex millia ſeptentrionem verſus Flada, & à Flada duo millia Tulimena, & ad auſtrale Skiæ latus Oranſa, & mille P. ab ea Buia parva, deinde Buia major, ac deinceps quinque parvæ inſulæ ignobiles; poſt quas Iſa fertilis frugum: & juxta eam Ovia, deinde Askerma, & Lindilla, & ad octoginta millia à Skia ad occidentem æſtivum projecta Linga, & Gigarmena, & Bernera, & Megala, & Paba, & Flada,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Flada, & Scarpa vervecum, & Sandera: & Vaterſa, quæ præter alia commoda plurima ſtationem habet, multarum & magnarum navium capacem, in quam ex omnibus circumjacentibns regionibus ſtatis temporibus magna piſcatorum frequentia convenire ſolet. Hæ novem poſtremæ inſulæ ſub dominatu ſunt epiſcopi inſularum.

A Vaterſa duo millia abeſt Barra, ſeptem millia longa, ab occidente Hiberno ſe ad orientem æſtivum exporrigens: frugum non infœcunda: piſcatu aſellorum maxime inſignis. In hanc ſinus maris anguſtis faucibus infunditur: interius latius rotundatur. Inſulam habet unam, & in ea arcem munitiſſimam. In ſeptentrionali plaga Barræ, aſſurgit collis, ab imo ad ſummum herbidus: è quo rivus, qui defluit, ſecum in mare vicinum defert velut minuta quædam ſed adhuc informia animalia, quæ aliqua ex parte, ſed obſcure, ſpeciem conchularum, quas vulgo vocamus cochleas, prçferre videantur. Hanc littoris partem, in quam deferuntur, accolæ magnas arenas appellant; quod ibi recedente maris çſtu ultra mille paſſus arena nudetur: illinc magnæ conchæ effodiuntur, quas vicini credunt ex illo velut ſeminio, quod rivus è fonte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

fonte defert, aut naſci, aut certe in mari incrementum ſumere.

Inter Barram & Viſtum jacent hæ deinceps exiles inſulæ, Orbanſa, Ovia, Hakerſæta, Garulanga, Flada, Buya major, Buya minor, Haia, Hellilaia, Gigaia, Lingaia, Feraia, Fudaia, Eriſcaia.

Ab his in ſeptentriones excurrit Viſtus, longa triginta quatuor, lata ſex millia. Hæc inſula, influente duobus in locis maris æſtu, trium velut inſularum ſpeciem præbet; rurſus nudatis æſtu recedente arenis in unam coit. In ea plurimi ſunt lacus aquæ dulcis: ſed unus præcipua magnitudine tria millia paſſuum longus. Ad hunc exeſa terra mare viam ſibi patefecit; nec ab incolis objecto ſexaginta pedum aggere excludi potuit, quo minus inter ingentia ſaxa male coagmentata ſe inſinuet, & marinos piſciculos perſæpe relinquat. In eo piſcis capitur cætera ſalmoni ſimilis, niſi quod ventre albo, dorſo nigro ſit, & ſine ſquamis, inſtar ſalmonis. Item in eo prope innumeri ſunt aquæ dulcis lacus. Speluncas habet erica tectas, latronum latibula: in ea ſunt quinque ad ſacrorum uſum curiæ. Inde octo millia orientem verſus jacet Helſcher Vetularum, ita reor cognominata, quod ad monachas Ionæ inſulæ ſpectet.

D Deinde

Deinde paulo longius ad ſeptentriones ſe attollit Haueskera, in quam certo anni tempore vituli marini frequentes appellunt, & capiuntur.

Sexaginta fere ultra hanc millia ad occidentem æſtivum recedit Hirta, frugum, pecorum ac maxime ovium ferax, procerioreſque gignit, quam ulla aliarum inſularum. Incolæ prope omnium artium, ac maxime religionum, rudes. Eo poſt ſolſtitium æſtivum dominus inſulæ procuratorem ſuum ad vectigalia colligenda mittit, & una cum eo ſacerdotem, qui pueros proximo anno natos baptizet: is autem ſi forte deſit, ſuos quiſque baptizat. Domino pendunt certum numerum vitulorum marinorum, & ſole duratorum vervecum, & avium marinarum. Tota inſula non ſuperat longitudinem mille paſſuum, totidem prope lata; nec ab ulla aliarum inſularum videri pars ejus ulla poteſt, præter tres montes in littore ſe attollentes, qui ex locis editioribus cernuntur. In iis montibus ſunt oves eximiæ pulchritudinis, ſed ob violentiam æſtus marini vix cuiquam eſt ad eos aditus.

Iam ut ad Viſtum redeamus, à promontorio ejus ſeptentrionali ſita eſt inſula Valaia, mille paſſus lata, duplo longior.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Inter promontorium & Hareamͻ inſulam hæ fere ſunt interjectæ, exiguæ quidem, ſed non infrugiferæ: Soa, Stroma, Pabaia, Barneraia, Graia, Linga, Gilinſa, Hea, Hoia, Ferelaia, Soa parva, Soa magna, Iſa, Seuna parva, Seuna magna, Taranſa, Slegana, Tuemen; & ſupra Haream Scarpa. & ad occidentem æquinoctialem ſupra Leogum L millia abſunt VII inſulæ, quas alii Flavanas, alii Sacras, alii Aſyla vocāt, in montes herbidos conſurgentes, ſed ab omni humano cultu deſertæ: neque quadrupedem fere ullam præter oves feras habent, quæ quidē à venatoribus capiuntur, ſed ad nullum victus uſum. Carnis enim loco arvinam habent: aut ſi quid ſit carnis, id adeo inſuave eſt, ut nemo attingat, niſi in extremo famis periculo. Deinde prope eodem tractu propius ſeptentrionē, jacent Garuellan, id eſt, aſpera inſula, & Lamba, & Flada, & Kellaſa, & Bernera parva, Bernera magna, & Kirta, & Buya parva, & Buya magna, & Vexaia, & Pabaia, & Sigrama magna, Cunicularia ab ejus animalis fœcunditate vocata, & Sigrama parva, & Pygmæorum inſula. In hac fanum eſt, in quo credunt vicini populi olim Pygmæos fuiſſe humatos. Multi exterorū terra altius effoſſa repererunt, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

adhuc deprehendunt capita parva & rotunda, aliarumque corporis humani partium oſſicula, nihil famæ vetuſtæ derogantia. In eo littore Leogi inſulæ, quod in orientem hibernum ſpectat, duo ſinus maris in terram irrumpunt, quorum alterũ lacum meridionalem, alterum ſeptentrionalem vocant. Vterque toto anno piſces abunde captantibus ſuppeditat. Ex eodem littore Leogi magis ad meridiem vergit Fabilla: deinde Adami inſula: deinde inſula Agnorum. Item Hulmena, & Viccoilla, & Haverera, & Laxa, & Era, & inſula Columbi, & Tora, & Iſſurta, & Scalpas, & Flada, & Seuta. Ad orientale latus hujus inſulæ iter eſt ſubterraneum, ſuperne fornicatum, longum ultra jactum ſagittæ; ſub quam cryptam naviculæ minores velis aut remis agi ſolent, dum fugiunt violentiam æſtus, qui ad propinquum promontorium magno cum fragore & navigantium periculo ſævit.

Magis ad orientem jacet inſula, quam vetuſtum Caſtellum appellant; locus naturali munimento tutus, & frugum & piſcium copia, & ovis ibi nidificantium volucrum marinarum, abunde commeatum incolis ſufficiens.

Ad littus ubi ſinus Briennus terras aperit,

aperit, inſula Eu ſita eſt,tota fere ſilvis umbroſa, ac latronibus tantum, qui prętereuntibus inſidiantur,accommoda. Magis ad ſeptentriones jacet inſula Gruinorta, & ipſa itidem ſilvis opaca, & latronibus infeſſa. Et in eandem cœli plagam ſpectans inſula, Sacerdotum vocata, præter pabula ovis volucrum marinarum abundans. Proxima huic eſt Afulla. Deinde ei propinqua Habrera magna,poſt eamHabrera parva, juxta eam inſula Equorum: juxta eam rurſus inſula Mertaika. Hæ octo proximæ inſulæ ante oſtium ſitæ ſunt ſinus, quem vulgo lacum Briennum vocant.

Ab his inſulis,quę ſinum Briennum præcingunt, abſunt Haraia,& Leogus, ſeptentrionem verſus excurrentes. In longum patent ſexaginta millia, in latum ſedecim.Hę quidem unam faciunt inſulam; non enim maris infuſi æſtuariis,ſed limitibus agrorum,&dominiorum ditionibus definiuntur. Pars autem ad meridiem expoſita ſolet Haraia vocari.In ea fuerat monaſterium Roadilla dictum, à Maëclodio Haraienſi conditum: ager frugum ſatis fertilis, ſed quę magis ex fodiendo quam arando illis proveniunt. Paſcua ſunt in ea ovium paſturæ commoda, præſertim

mons præaltus ad ſummum uſque faſtigium gramine virens. Narrat Donaldus Monrous, homo doctus & pius, ſe, cum illic eſſet, vidiſſe oves admodum annoſas, ut in eo pecoris genere; ſine certis dominis vagas: quarum proventum illic auget, quod ibi nuſquam cernatur vulpes, lupus aut ſerpens, quanquam inter hanc partem & Leogum magnæ interjectæ ſunt ſilvæ, quæ cervos alant frequentes, ſed humiles, & mole corporis minus conſpicuos. In hac inſulæ parte fluvius eſt ſalmonum ferax. In parte ad ſeptentriones projecta eſt Leogus, ſecundum littus ſatis frequẽter culta. Quatuor habet curias; arcem unam, ſeptem amnes majuſculos, ac duodecim præterea minores, omnes pro cujuſque magnitudine ſalmonum fœcundos: plurimis in locis mare in terras penetrat, in ſinuſque ſe diffundit omnes halecum copia abundantes. Magnus ibi proventus ovium, quæ in ericetis ac ſaltibus libere vagantur. Eas in locũ anguſtum ac velut caulas ſingulis annis coactas, incolæ antiquo more vellunt. Soli cãpeſtris magna pars ericetis conſtat, in quibus terra ſuperne eſt nigra, ex muſco & ſilvis putreſcentib9 multis ſeculis coalita ad altitudinem circiter pedalem. Hæc velut ſupe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ſuperior cruſta in ceſpites oblongos & tenues conſciſſa, & ad Solem deſiccata, in uſum igni colligitur, & lignorũ vice uritur. Proximo poſt anno nudum ſolum alga marina ſtercoratum ſeritur ordeo. In hac inſula tanta plerunq; balænarũ capitur copia, ut aliquando (uti ſeniores narrant) viginti ſeptem partim prægrandes, partim minuſculæ, decimarum nomine ſacerdotibus ſint exhibitæ. Eſt & in hac inſula ſpelunca ingens, in qua recedente æſtu aqua duas orgyas alta manet: ubi vero rediit æſtus, ſupra quatuor eſt profunda. Ibi in rupibus ſedens omnis generis, ſexus & ætatis multitudo, hamis & lino magnam vim piſcium promiſcue ducit.

Ad orientem æſtivum ſexaginta fere mill. paſſ. à Leogo ſita eſt inſula parva, ſolo humili ac plano, & ſatis frequenter culto. Nomen eſt Rona. Cultores homines rudes, ac prope omnis religionis expertes. Dominus ejus, qui eam colant, certum familiarum numerum finit, eiſque majorum & minorum pecorum aſſignat quantum ſatis videtur, unde & ipſi commode vivant, & vectigalia ſolvant. Quod ultra victum provenit, Leogum ſingulis annis ad agri ſui dominũ mittunt. Hæc fere vectigalis nomine pendit magnam vim farinæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ordeaceæ in pellibus ovium inſutam, (apud eos enim hoc genus frugum copioſe naſcitur,) carnis ovillæ, & marinarum avium ſole duratarum, quantum ex annuo proventu ſuperat. Ac ſi quando multitudo capitum abundat, ſupernumerarios quoque domino annumerant. Atque ita ſoli, ut opinor, in univerſo orbe ſunt, quibus nihil unquam deeſt, omnia ad ſatietatem redundant. Iuxta luxus & avaritiæ ignari, quique innocentiam & animi tranquillitatem, quam alii magnis laboribus ex inſtitutis & præceptis ſapientiæ petunt, ex ignoratione vitiorum comparatam habent, nec aliud quicquam, præterquam quod ſuæ conditionis cõmoditatem non intelligant, ad ſummam felicitatem deeſſe videatur. Eſt in hac inſula ſacellum D. Ronano ſacrum, in eo (ut majores natu ferunt) ligo perpetuo relinquitur: quo, cum quis moritur, ſepulcri locum inveniunt deſignatum. In hac inſula præter aliam piſcationem plurimæ balenæ capiuntur. Ab hac, millia paſſuum ſedecim, occidentem verſus, jacet inſula Suilskeraia, mille paſſus longa, ſed quæ nullam herbam, ac ne ericam quidem gignat. Rupes tantum nigras attollit, quarum quædam muſco nigro teguntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

tur. Volucres marinæ paſſim ibi ova ponunt, & excludunt. Ad eas nondum ad avolandum maturas proximi è Leogo inſula adnavigant, ac plus minus octo dies eis legendis tribuunt, donec earum carne, vento durata, plumiſque naviculas onerent. In hac inſula rarum & aliis regionibus ignotum genus avis conſpicitur: colcam vocant, magnitudine paulo infra anſerem. Ea vere ſingulis annis eo adventat, pulloſque excluſos eo uſque educat, dum ipſi ſibi proſpicere poſſint. Ad id fere tempus plumæ ſponte defluentes è toto corpore nudam deſtituunt: ac tum demum ad mare ſe recipit, nec ante proximum ver uſquam conſpicitur. Illud quoque eis eſt ſingulare, quod earum pennæ caulem non habent, ſed levi, & cui nihil prorſus duri adeſt, pluma totum corpus velut lanugine veſtiunt.

Sequuntur Orcades, in mari partim Deucaledonio, partim Germanico ad ſeptentrionalem Scotiæ partem ſparſæ. Harum de nomine inter ſcriptores veteres & recentiores ſatis convenit. Rationem autem nominis nemo (quod adhuc ſciam) explicavit. Sed neque, qui eas primi tenuerint, ſatis conſtat. Omnes Germanicæ originis eos fuiſſe tradunt: At è qua natione Germanorum

adveneriṅt, id non proditur. Si è ſermone conjecturam faciemus, & olim, & nunc quoque, vetere Gothica lingua utuntur. Sunt qui Pictos eos fuiſſe arbitrentur, hoc maxime argumento, quod fretum eos à Cathaneſia dividens Picticum cognominatur, Pictoſque ipſos generis Saxonici fuiſſe exiſtimarint, Claudiani carmine maxime freti è VII Panegyrica;

—Maduerunt Saxone fuſo
Orcades, incaluit Pictorum ſanguine Thule:
Scotorũ tumulos flevit glacialis Ierne.

Sed eorum refutari facile error poteſt, partim ex Beda Angloſaxone, qui cum quinq; diverſis linguis à Britannis Dei laudes cani aſſeveret, unam ex eo numero Picticam eſſe ait. Quod ſi tum Saxonice Picti locuti fuiſſent, eam à Saxonica (qua tum Angli incorrupta utebantur) non ſeparaſſet. Partim quod in illis verſibus Claudianus diſerte Pictos à Saxonibus alios eſſe oſtendat: cum alteris Orcadas, alteris Thulen patriam eſſe affirmet. Sed undecunque ſunt oriundi, noſtra adhuc ætate lingua à Scotis & Anglis diverſa utuntur, & quæ à Gothica non multum diſcrepet. In cõvictu quotidiano multum è vetuſta parſimonia adhuc vulgus retinet. Itaque

que perpetua corporis & animi ſanitate fere omnes fruuntur. Rari morbis, plerique omnes ſenio ſolvuntur, pluſque apud eos delitiarum ignorantia, quam apud alios medicorum ars & diligentia ad ſalutem tuendam prodeſt. Eadem parſimonia, & ad formæ elegantiam, & ad ſtaturæ proceritatem, plurimum facit; frugum proventus eis exiguus eſt, præterquam avenæ & ordei, ex quibus eis & panis & vinum ſuppetit. Ex gregalibus animantibus oves, boves, & capræ non infrequentes; unde multus eis lactis, caſei & butyri eſt uſus. aves marinæ innumeræ: ex his fere & piſcibus victus eorum magna ex parte conſtat. Nullum ibi venenatum animal, ac ne deforme quidem aſpectu apparet. Sunt eis equulei, ſpecie quidem contemptibiles, ſed ad omnes uſus, ſupra quam credi poteſt, ſtrenui. Nulla uſquam arbor, ac ne frutex quidem præter ericam. nec id tam cœli aut ſoli vitio, quam incolentium ignavia. quod facile oſtenditur ex arborum radicibus, quæ pluribus in locis eruuntur. Quoties exotica vina navibus invehuntur, avide ſe ingurgitant. Scyphum habent antiquum, quem (ut maior crapulæ ſit autoritas) divi Magni, qui primus ad eos Chriſti doctri-

nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

nam attulit, fuiſſe prædicant. Is cum ita ſuperet communium poculorum amplitudinem, ut è Lapitharum convivio reſervatus videri poſſit, eo ſuos epiſcopos initio ad ſe adventantes explorant: qui plenum uno hauſtu ebiberit, (quod admodum raro evenit,) miris eum laudibus proſequuntur, atq; hinc velut læto augurio ſequentium annorum proventum animis præcipiunt. Vnde facilis conjectura eſt, illam quam dixi parſimoniam non tam à ratione & ſtudio, quam penuria ortam eſſe, eademque quæ eam initio pepererat, diu apud poſteros conſervavit neceſſitas, donec vicinis nationibus invaleſcente luxuria corruptis, paulatim diſciplina vetere labefactata, blandientibus quoq; delitiis ipſi ſeſe dedidere. Multum etiam præcipitantem temperantiam impulere piratarum commercia, qui regiones continentis habitatoribus frequentes adire non auſi, ex inſulis aquantur, & vina, merceſque alias, aut commeatibus mutant, aut vili precio diſtrahunt: & Inſulani & pauci numero, & inermes, & in mari procelloſo ita ſparſi ut mutuis auxiliis ſe tueri non poſſint, infirmitatis ſuæ conſcii non omnino inviti ſecuritatem cum lucro conjunctam, adblandiente etiam voluptate, vel receperunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

vel non rejecerunt. Sed hæc morum labes in potentiores fere & ſacerdotes incubuit. Apud vulgus multa priſtinæ moderationis adhuc veſtigia reſtant. Mare illis non ſolum ventorum violentia, & ſiderum poſitu ſævum & tempeſtuoſum eſt, ſed æſtibus contrariis, ex Oceano occidentali incitatis, & inter anguſtias terrarum cõfligentibus, nulla vi remorum aut velorum, freti ex adverſo recurrentes & in ſe contorti vortices ſuperari poſſunt. Si qui propius accedere audent, aut impetu violento rurſus in mare rapiuntur, aut fluctuantis æquoris rapiditate abrepti in rupes & ſcopulos compelluntur, aut in ſe convolutis aquarum cumulis abſorbentur. Duæ ſunt tempeſtates, quibus hæ anguſtiæ ſunt ſuperabiles: aut cum æſtuum relapſu ceſſante undarum conflictu mare tranquillatur: aut ubi pleno alveo æquor ad ſummum incrementi pervenit, langueſcente utrinque vi illa, quæ undas concitabat, velut receptui canente Oceano procellis, & vorticoſis pelagi commoti molibus ſe veluti in ſua caſtra recipientibus. De numero quoque Orcadum inter ſcriptores non convenit. Plinio ſunt inſulæ quadraginta, cæteris fere triginta. Proxime ad verum acceſſit Paulus Oroſius, qui tri-

ginta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ginta tres prodit,è quibus tredecim habitentur, cæteræ deſertæ, & pecori paſcendo relictæ. Sunt enim pleræque humiles, & ita ſpaciis anguſtis, ut vix colonum unum aut alterum, ſi colerentur,alerent. Aliæ nudis ſcopulis aut operis muſco ſqualentes.

Orcadum maxima multis veterum Pomona vocatur. Hodie continentem appellant, quod longe alias magnitudine præcedat. Patet enim in longum xxx millia paſſ. Hęc ſatis frequenter habitatur. Habet enim duodecim ſivecurias,ſeu parochias ruſticas. Prętereca oppidum unum, quod Dani,quorũ in ditione Orcades diu fuerunt, Cracoviacã appellabant: nunc nomine corrupto Kircua Scotis dicitur. In hoc duæ ſunt velut modicæ arces propinquæ, altera regis,altera epiſcopi. Inter eas ſitum eſt templum, ut in locis illis ſatis magnificum. Inter templũ & arces utrinq; ſunt non infrequẽtia ędificia,quas Duas urbes incolæ appellant: alteram regiam, alteram epiſcopalẽ. Tota inſula excurrit in promontoria;inter quę ſinus maris infuſi,ſtationes navibus tutas,& interim portus,faciunt. Sex diverſis in locis huius inſulę metalla ſunt plumbi albi & nigri, tam probi, quam uſquam in Britannia reperiatur. Hæc inſula à Cathane-

thaneſia circiter XXIV millia abeſt, interiecto freto Pictico, de cuius natura iam diximus. In eo freto ſparguntur inſulę complures, è quibus Stroma quatuor à Cathaneſia M. abeſt, non infœcũda pro magnitudine. Sed hanc ob propinquitatem terræ Britanniæ, & quod Cathaneſiæ comites eam ſemper tenuerint, inter Orcadas non numerant.

Ab hac ſeptentriones naviganti prima Orcadum occurrit Ranalſa auſtralis, quæ à ſinu Duncani, aut verius Dunachi, abeſt ſedecim millia: quod ſpacium duabus horis æſtu ſecundo, etiam ceſſantibus ventis, naviculæ conficiunt: tanta huius freti eſt violentia. Hæc quinque millia paſſ. longa eſt, habetque portum ſatis commodum à D. Margarita cognominatum. Ab ea paulum in orientem proiectæ ſunt inſulæ duæ exiguæ, & incultę, pecori paſcendo relictæ. Holmas illi, gentili vocabulo, eas appellant, hoc eſt, planities herbidas, aquis aſſitas.

Ad ſeptentrionem eſt Burra inſula, & duæ inter eam & Pomonam Holmæ. A Burra occidentem verſus, ordine tres inſulæ jacent, Suna, Flata, & Fara: & ultra eas Hoia, & Valis, quas alii duas, alii unam inſulam vocãt, quod circa ęquinoctia (quo tẽpore maria violentiſſime

inci-

incitantur ac fervent) æſtu recedente nudantibus ſe arenis anguſtis faucibus cohærent, unamq; inſulam faciunt: redeunte ęſtu rurſus interjecto mari duarum inſularum ſpeciem prębent. In hac inſula omnium, quas Orcades habent, altiſſimi ſunt montes Hoia, & Valis. decem millia in longum porriguntur: ab Ranalſa abſunt octo: à Fano Donati in Cathaneſia, ſupra XX millia paſſuum.

A ſeptentrione eſt inſula Graniſa, in freto admodum anguſto ſita. Abeſt enim Hoia à proximo continentis, id eſt, Pomonæ promontorio, duo modo millia. Hæ fere inter Pomonam & Cathaneſiam ſunt inſulæ in ipſo freto ſitæ. Latus continentis occidentale mare apertum ſpectat, nullis in eo nec inſulis nec ſcopulis apparentibus. Ab orientali ejus promontorio paulum procurrit. Cobeſa à Borea eam velut tegit. Littori propior Siapinſa, paulum ſe in orientem inflectens, ex adverſo Cracoviacæ duo millia ſita, ipſa ſex millia longa. Ab occidentali parte Pomonæ jacet Ruſa, ſex millia longa. Ab ea propius orientem ſita eſt Egliſa, ubi divum Magnum fama eſt eſſe ſepultum. Hinc ad meridiem adjacent Vera, Gerſa: nec longe illinc Veſtra, à qua Hethlandia abeſt millia paſſuum LXXX. Papa,

Stronza,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Stronza, diſtat ab Hethlandia LXXX millia paſſuum.

In hoc medio fere curſu jacet Fara, hoc eſt, Bella inſula, utriſque & Orcadibus & Hethlandiæ conſpicua. Aſſurgit enim in tria altiſſima promontoria, rupibus excelſis præcincta, & undique inacceſſa, niſi quod ad orientem æſtivum paulum ſeſe demittens, ſtationem tutam naviculis præbet. Incolas habet longe pauperrimos. Piſcatores enim, qui ex Anglia, Hollandia, cæteriſque propinquis Oceano regionibus, quas piſcatum in illa maria ſingulis annis prænavigant, omnia pro arbitrio rapiunt & ferunt.

Proxima poſt illam eſt inſula Hethlandicarum maxima, quam ob eam cauſſam incolæ continentem appellant, ſexaginta millia paſſuum longa, lata alicubi ſedecim, in plurima parva ſe promontoria ſpargens. Duo tantum ſunt, quæ nominare nos pigeat: alterum longum, ſed anguſtum, in ſeptentriones excurrit: alterum latius in orientem hibernum. maritima fere habitantur: interiora nullum animal præter volucres adit. Superioribus annis incolæ latius, quam majores eorum ſolebant, excolere tentarunt: ſed nullo prope ſucceſſu. Divitię ejus ſunt à mari,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ab omni parte ſumma piſcandi commoditate objecta.

Ab ea ad decem millia ſeptentrionem verſus eſt Zeal ſita, ſupra viginti millia longa, octo lata, adeo fera, ut nullum animal, niſi illic natum, ferat. In hac habitare dicitur Bremenſis mercator, qui omnes merces exoticas, quarum illic uſus, abunde omnibus ſuppeditet & apportet.

Inter hanc & continentem jacent inſulæ minores, Linga, Orna, Bigga, Sanctferri. Vltra hanc circiter novem millia ad ſeptentrionem jacet Vuſta, ſupra viginti millia in longum porrecta, in latum ſex. Plana, & alioqui non inamœna aſpectu, niſi quod longe ſæviſſimo mari ambiatur. Inter hanc & Zeal ſunt interjectæ Via, Vra, Linga. Extra eam ad occidentem reſpiciunt Skeniæ duæ, Burra: ad orientem Balta, Honnega; Fotlara, ſeptem millia longa, ab Vuſta ſeptem diſtans, octo à Zeale, & objecta freto quod Vuſtam à Zeale dividit.

Multæ deinceps inſulæ ignobiles prætenduntur orientali continentis lateri, Mecla, Skeniæ orientales tres, Chualſa, Noſtunda, Braſa & Muſa. Latus occidentale cingunt Skeniæ occidentales, Rottia, Papa parva, Vonneda,

Papa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Papa maior, Valla, Trondra, Burra, Haura maior, Haura minor, & inter eas totidem fere Holmę interſperſæ. Victus ratio Hethlandicis eadem, quæ Orcadenſibus, niſi quod juxta copias domeſticas paulo aſperior. Veſtiuntur Germanico ritu, ſed iuxta facultates non indecore. Proventus illis eſt ex panno ſui generis craſſo, quem Norvegis vendunt, ex oleo è piſcium inteſtinis confecto, è butyro, è piſcatu. Piſcantur naviculis duorum ſcalmorum, quos factos è Norvegis coëmunt. Quos ceperint piſces, partim ſale condiunt, partim vento ſiccant. Ex iis fere rebus divenditis pecuniam conficiunt, unde vectigalia ſolvunt, domos in quibus habitent, ſupellectilem univerſam, ac magnam victus partem parant. In domeſtico inſtrumento qui elegantiæ ſtudent, nonnihil argenti habent. Menſuris, numeris, ac pondere, ad morem Germanicum utuntur. Germanicus etiam, aut pene vetus Gothicus eſt illis ſermo. Ebrietatem ignorant, niſi quod ſingulis menſibus ſe mutuo invitant, eoſque dies hilare & ſimpliciter, ſine rixis & cæteris, quæ fert ebrietas, vitiis tranſigunt, eamque conſuetudinem ad mutuam amicitiam retinendam facere ſibi perſuadent. Salubritatis firmitudo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

in Laurentio quodam noſtra ætate apparuit, qui poſt centeſimum annum uxorem duxit. Centeſimum quadrageſimum annum agens, ſęviſſimo mari in ſua navicula piſcatum prodibat, ac nuper nulla vi gravioris morbi labefactatus, ſed ſenio ſolutus deceſſit.

II.

INSCRIPTIONES ANTIQVAE quæ in Scotia reperiuntur.

In Lothiana.

APOLLINI
GRANNO
Q. LVSIVS
SABINIA
NVS
PROC
AVG
V. SS. L. V. M.

In Agro Sterlinenſi.

IMP. CÆSARI
T. ÆLIO. HADRI-
ANO ANTONINO.
AVG. PIO. P. P.
VEXILLATIO
LEG. XX. VAL. VIC. F.
PER MIL. P. III.

Ibi-

Ibidem.

IMP. CAES. TIT. IO AELIO
HADRIANO ANTON.
AVG. PIO. PP. LEG. II. AVG
PER. M. P. III. D. CIXVIS.

Ibidem.

LEG
II
AVG
FEC.

Ibidem.

D. M.
C. IVLI.
MARCELLINI
PRAEF.
COH. I. HAMIOR.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

III.

DE ANIMANTIBVS TERreſtribus, volatilibus, & aquatilibus Scotiæ, *ex Hectore Boethio.*

TOTO regno, niſi qua prohibet humana habitatio, leporum, caprearum, cervorum, ſylveſtrium equorum, (quos ab agreſtibus, remiſſis emiſſariis manſuetis, mira quadam arte ſub hyemem captos abducunt,) luporum & vulpium ingens ubique proventus. Cæterum lupi ubique atrociſſimi ſunt gregibus, atque armentis infenſiſſimi: præterquam in valle quadam Anguſiæ, nomine Glemmores: ubi domeſticis animantibus innoxii, ferarum præda ſeſe paſcunt. Vulpes, cum nuſquam non ſunt infeſtæ minoribus animalibus alitibuſque domeſticis, tum maxime in montanis, ubi difficilis earum venatio eſt. Tali itaque conſilio belluæ illius perniciem antevertere conſueverunt. Vicis frequentioribus ſingulæ ædes ſingulas vulpeculas nutriunt, eaſque earum carnibus contuſis coctiſque animalium cibis miſcere ſolent. Quæ autem volucres aut pecudes domeſticæ eas deguſtaſſent, duos prope menſes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

menſes innoxiæ ſecuræque paſcentes oberrant, vulpibus à ſui generis eſca tam anxie abſtinentibus. Quod ita eſſe comprobant. Nam ſi qua non deguſtarit, pervagantibus inter gallinas, anates, anſeres, cæteraſque aves innoxiis vulpibus, ea ſola illis prædæ eſt, quam à genere ſuo abſtinuiſſe ſentiunt: ut appareat, inferendis injuriis nonnunquã injurias propelli. Nec canum quidem naturam præteriero. Sunt etenim præter vulgares domeſticoſque tria eorum genera, quæ aliubi nuſquam (ut opinor) terrarum invenias. Vnum genus, venaticum eſt, cum celerrimum, tum audaciſſimum: nec modo in feras, ſed in hoſtes etiam latroneſque: prẹſertim ſi dominum ductoremve injuria affici cernat, aut in eos concitetur. Alterum, eſt odoriſequorum, feras, aves, imo & piſces quoque inter ſaxa latentes odoratu inveſtigantium. Tertium genus eſt haud majus odoriſequis: ſed ut plurimũ ruſſum nigris inſuper ſunt maculis, aut nigrum ruffis. Tanta vero his ſagacitas ineſt, ut fures furtoq; ablata perſequantur & deprehenſos cõtinuo invadant. Quod ſi fur, quo fallat, fluvium trajecerit, quo loco fluvium ingreſſus eſt, & ipſi ſeſe prẹcipitãt: & in adverſam devenientes ripam, in gyrum circum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

quaque percurrere non ceſſant, donec odoratu veſtigia aſſecuti ſunt. Id minus verum videri poſſit, niſi vulgaris eorum eſſet uſus Scotis Angliſq; in confinibus, ubi ex mutua agrorum prædatione multi ſibi victum quærere conſueverunt. Quod ſi quis pacis tempore, dum ſibi ablatum quiſpiam cane indagatore perſequitur, vel etiam in ſecretiora cubicula cani ingreſſum deneget, is plane pro fure habetur. Talis canis in Legibus Scotorum traſſans appellatur, à Gallico tracer, quod eſt veſtigia perſequi; Nullus perturbet aut impediat canem traſſantem, (inquit Lex,) aut homines traſſantes cum ipſo, ad ſequendum latrones, aut ad capiendum malefactores. Avium, raptu viventium, aquilæ ſunt, falcones, accipitres, & id genus aliæ. Cæterum aquatilium tam varius ingenſque eſt numerus, ut pro miraculo notari haud ridiculum ſit. Sed medii inter eas quædam generis præter cætera reperiuntur aliis regionibus incognita. Vnum, magnitudine corvum paulo ſuperans, caper calze, id eſt, ſylveſtres equi appellati, ſolius pinus arboris extremis flagellis victitantes. Alterum, momimus, galli gallinęq; ſylveſtres vocati, frumento abſtinentes, cibum habentes enaſcentia

minu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

minutaque cytiſi folia. Vtrunque humanæ gulæ admodum ſuave. Tertium genus, faſiano carne ac magnitudine ſimillimum, at nigra pluma, rubentibus admodum palpebris: ſylveſtrem agrigallum noſtrates dicunt; eſtque frumento victitans. Præter hæc aves in Merchia naſcuntur guſtardes vernaculo ſermone dictæ, colore plumæ ac carne perdicibus non diſſimiles, ſed quæ olores corporis mole exuperant. Rara eſt ea avis, atque humanum aſpectum plurimum abhorrens: nuda humo ova ponit: quæ ſi ab homine contrectata, aut ejus anhelitu & afflatu vel leviter imbuta ſenſerit, (quod facile naturæ beneficio dignoſcit) extemplo veluti inidonea ad pullos procreandos relinquens, alio ad ova parienda ſe confert. Reliqua genera ut in aliis regionibus. Piſcium tanta in toto regno vis eſt, ac præcipue ſalmonum, quantam nullis in regionibus aliis comperias. Haud itaque gravabimur, quæ de ſalmonum natura explorata habemus, his chartis illinere. Autumno rivulis plerumque aut locis vadoſis coëuntes, idque junctis ventribus, ova ſua ſabulo enixa cooperiunt: quo deinceps tempore tam graciles ſunt ac macilenti, maſculus lactibus exhauſtis, fœmella ovis, ut præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ter cutem & ſpinas totoque corpore gracilia quædam oſſicula nihil pene reliqui habeant ; ac proinde eſui ſunt prorſum inepti. Ferunt, eam tum illis vim ineſſe,ut, quoſcunque contingant ex ſuo genere obvios,eadem macie,qua attigerint, ſtatim conficiant. Capiuntur enim interdum uno latere bene habiti, altero æque ut alii exhauſti. Cæterum ex ovis illis arena opertis vere proximo piſciculi naſcuntur adeo molles atque tenelli, ut, quum humani digiti magnitudinem non excedant, ſi manibus tractentur,velut humor quidam paulum concretus defluant. Et mare protinus petentes intra viceſimum diem in immenſam magnitudinem evadunt. Tum ad loca unde nati ſunt revertentes adverſis fluminibus ſubeunt. Hic jam res admiranda ſpectantium oculis ſubjicitur. Flumina enim quædam hinc atque illinc anguſtis preſſa rupibus , ac proinde curſu pernici demiſſa, ubi aſpero præruptoq; alveo ferri incipiunt,non in ſubjectum ſtatim canalem delabuntur, ſed pendentibus aliquantum aquis ac ſpatio quodam per aëra emenſo arcuata incurvaque, in terram ſtrepitu ingenti concidunt. Itaque ad ea præcipitia ubi advenerint, impetu facto ſaltu ea ſuperare

rare contendunt. Quibus igitur virium minus additum eſt, aut referentibus aquis unde exilierant rejiciuntur, aut ſubſidentes in terram cadunt ſubjectam. Vbi accolæ, extructo in hoc ſuſpenſis ſub aquis foro, nonnunquam in excavatis ad præcipitia illa rupib⁹ lebetibus, cum aqua igni ſuperpoſitis, cadentes excipiunt ingenti audacia, palati ac ventris ſervientes libidini. Qui vero ſuſpenſos amnes ſaltu exuperant, ea confeſtim loca petunt, quibus nuper editi fuerunt, in autumnum illic (ni prius capiantur) ad pariendi uſq; tempus remanſuri: quo ut innoxie fœtui incumbere liceat, capere eos legibus vetitum eſt. Definitum autem id tempus eſt à ſexto idus ſeptembres ad Kalendas decembres. Atque hæc quidem de ſalmonibus. De conchis vero intortis ac earum margaritis proximum eſt nunc diſſerere. Etenim quam plurima apud nos ſunt concharum genera, quædam parvæ, ac vulgari uſu recentes, palato ſuaviſſimæ, nonnullæ majores, eaque forma & quantitate qua ſunt quæ purpuram habent, ſed his illius nihil ineſt, ſaporis tamen etiam homini etſi delicato haud aſpernendi. At eæ quæ torno faſtigiatas à capite teſtas habent, maculiſque aſperas, longo intervallo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

reliquas (ut etiam fœtum ſileam) ſuperant. Quippe adeo nonnullis in locis ſunt delicatæ, ut non immerito apud veteres gulæ primatum obtinuerint; ut viduarum vulgo cupediæ ſint dictæ; quanquam in quibuſdam fluminibus, idque præſertim Dea Donaque, eſui ineptæ judicantur. Hæ magno apud nos numero repertæ, limpidiſſimis puriſſimiſque amnibus ac nullo unquam limo turbidis, qua profundiſſimi ſunt, agere gaudent, in eiſque ſolis margaritas concipiunt. Sub auroram enim cœlo ſereno temperatoque in aërem ſe, donec capitibus aqua exiſtant, ſublevantes, roridum liquorem oſcitatione excipiunt, pro concepti ſeminis multitudine partu aut exili aut grandi futuro. Senſus illis tam acutus ineſt, ut ſi altiorem in littore aſtans vocem emiſeris, aut lapillum quantumvis minutum in aquam conjeceris, repente ſe ſubtrahentes ſubſidant univerſæ. Ea enim illis theſauri ſui cuſtodiendi naturalis indita eſt ſolertia, haud ignorantibus videlicet, quanti ſit pretii apud mortales luxus ex fœtu ſuo comparatus. Itaque piſcantes quoque id maxime obſervant, ut primo attactu teſtas convinctas arctiſſime detineant; protinus alioquin illis unionem evomituris.

Qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Quaterni aut quini humerorum tenus flumen ingreſſi, atque in orbem ſtantes, contum alterutra manu, quo firmius conſiſtant, fundo fixum tenent. Inde oculis per aquæ limpiditatem prædas colluſtrantes, pedum digitis (nam manibus id fieri prohibet altitudo) teſtarum torturas placide comprehendunt, atque aſtantibus vacua manu excipiendas præbent. Nec vero minimi ſunt pretii quos noſtra fert regio uniones. Splendeſcentem enim fere candorem referunt, optime orbiculati, læveſque, ac magnitudine interdum unguis minimi manus digiti excedentes; quantum & nos aliquando habuimus. Sunt etiam ejuſdem fere generis conchæ in oris Hiſpanicis, quarum teſtas, qui peregre à Divo Iacobo redeunt, adferunt, ſed haud fœcundæ, propterea quod aqua ſalſa vivant. Nam & circumquaque in littoribus Scotici maris, ingens natat, ſed ſterilis multitudo. Reperiuntur & paſſim piſces quidam inuſitatæ formæ; alii enim ſquamis ſunt rigidiſſimis, alii teſtas ferunt, quidam locuſtarum ſpeciem habent, nonnulli rotundi, ut globi, aculeatam, in herinaceorum ſpeciem, cutem ferentes, atque uno eodemque foramine cibum in ventrem recipientes, ac rurſum

ſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ſum inde rejicientes excrementa. De reliquis piſcium generibus, rhombis, capitonibus, magaris, ſcombris, pectinibus, chilonibus, ſcattibus, ſcaris, ſparis, ſpondilibus, oſtreis, vitulis marinis, phocis, cete, & quos piſcium reges nautæ appellant, halecibus, quid fruſtra calamum terere oporteat? quum ſatis conſtet, Gallos Germanoſque ingenti navium examine in maria noſtra quotannis piſcatum haud infrugifera opera convenire: & minorum ad littora piſcium tantus benignitate Dei Optimi Maximi proventus ſit: & quo major frumenti caritas eſt, eo etiam uberior, ut, cum uno quivis die ingentem vim abſtulerit, poſtridie illius diei non minor eodem in loco appareat. Per loca inculta & ſterilitate infœcunda ſponte ſua enaſcitur, cum ovibus, capris, & omni pecudum generi utiliſſima, ut Columella inquit, cytiſus, tum apibus in primis gratiſſima. Florem enim fert menſe Iulio purpurei coloris mellitiſſimum: unde Picti olim potus genus conficere ſolebant, ut ex literarum monimentis accepimus, non minus ſalubre quam delectabile. Cæterum, quia ejus faciendi artem (ne ea vulgata aut potus ipſe minoris fieret, aut materia ejus pluris) celaverunt, ipſis poſtea à Scotis

deletis,

deletis, uſus ejus potus idem qui & gentis finis extitit. Nulla autem tam ſunt uſquam loca ſterilia, quin aut ferrum aut aliud metalli genus quodpiam ferant; quanquam in circumjacentibus Scotiam inſulis longe ea fœlicius proveniunt. Sed in Mula inſula fons eſt limpidiſſimus, duobus paſſuum millibus à mari diſtans, ex quo ova quædam exigua, margaritarum modo ſplendentia, candidaque, & ſpiſſi humoris plena, exili torrente in foſſam littori propinquam, in qua aqua marina eſt, deferuntur: ubi ante ſpatium horarum duodecim in conchas ingentes evadunt. Reſtat jam de anſeribus, quos clakis appellant, quoſque vulgo perperam in arboribus naſci in his inſulis credunt, ea, quæ hujus rei cognoſcendæ multo jam tempore ſtudioſi, re diligenter explorata perſpectaque, cognovimus, diſſerere. Mari enim illis interjecto inibi magis eorum procreandi vis quædam ineſſe videtur quam alicui alii rei. Variis enim modis, verum in mari ſemper, provenire conſpeximus. Etenim ſi lignum in id mare projicias, temporis tractu primum in eo vermes excavato ligno naſcuntur, qui ſenſim, enatis capite pedibuſque, atque aliis, plumas poſtremo

edunt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

edunt: demum anſeribus magnitudine æquales, cum ad juſtam pervenerint quantitatem, cœlum petunt avium reliquarum more, remigio alarum per aëra delati. Id quod luce clarius anno à partu virgineo milleſimo quadringenteſimo nonageſimo plurimis ſpectantibus in Butquhania viſum eſt. Nam quum in eam ad Pethſlege caſtellum fluctibus hujuſcemodi lignum quoddam ingens delatum eſſet, rei novitatem, qui primi conſpexerant, admirantibus, ad loci illius dominum accurrentes rem novam nunciant. Is adveniens, trabem ſerra dividi jubet. quo facto ingens confeſtim apparet multitudo partim vermium, aliis adhuc rudibus, aliis membra quædam formata habentibus, partim etiam jam formatarum perfecte avium: inter quas quædam plumas habebant, aliæ implumes erant. Itaque rei miraculo ſtupentes, jubente domino, in templum divi Andreæ Tyre (pago cuidam nomen eſt) lignum comportant, ubi & hodie manet, undique ſicut à vermibus perforatum. Hujus ſimile duobus ſubinde annis in Taum æſtu appulſum ad Bruthe caſtellum, multis accurrentibus oſtenſum eſt. Nec diverſum eſt quod exinde duobus rurſum annis Lethi portu Edinburgenſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

burgenſi univerſum populum ſpectare contigit. Ingens enim navis, cui inſigne ac nomen Chriſtophori erat, ubi tres perpetuos annos ad unam Hebridum in anchoris conſtitiſſet, huc reducta, atque in terram ſubducta, plena omnia exeſis trabibus, qua mari ſemper merſa fuerat, vermium hujuſcemodi rudium partim, aut perfectam nondum avis formam habentium, partim jam abſolutorum, oſtendit. Cæterum cavillari id quiſpiam poſſit, arborum truncis ac ramis illis in inſulis natarum virtutem hanc ineſſe: Chriſtophorum quoque illam ex trabibus Hebridianis contextam aſſerens. Itaque quod ipſe quoque abhinc ſeptem annis vidi, haud gravabor in medium adducere. Alexander Gallovidianus Kilkendenſis Eccleſiæ Paſtor, vir prçter inſignem probitatem rerum admirandarum ſtudio incomparabili. Is, cum extracta alga marina, inter caulem & ramos, à radice ſtatim pariter & uſque ad cacumen enatos, qua conjunguntur, conchas adnatas videret, rei novitate attonitus, mox cognoſcendi ſtudio eas aperit, ubi magis multo quam antea obſtupefactus conſtitit. Non enim piſcem in teſtis concluſum comperit, ſed (dictu mirabile) avem, ac pro illius magnitudine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

teſtas quoque inauctas; quibus enim parvæ inerant, & ipſæ quoque apertæ eas pro quantitate amplectebantur. Itaque ad me extemplo, quem ejuſmodi rerum cognoſcendarum jam olim magna cupiditate detentum noverat, celeriter accurrit; remque omnem monſtrat, non magis rei miraculo obſtupefacto, quam re tanta ac tam inaudita conſpecta læto. Hac enim re ſatis conſtare arbitror, non hæc procreandarum avium ſemina aut truncis, aut arborum ineſſe fructibus, ſed ipſi Oceano, quem Maro, ut Homerus, patrem rerum haud temere appellavit.

IV.

DE SCOTORVM PRISCIS recentioribuſque moribus & inſtitutis, *ex eodem Boëthio.*

DOmi bellique majores noſtri cum reliquas virtutes tum earum omnium matrem inprimis coluere temperantiam: ſimilis ſomni, cibi, potuſque, etiam ex facile parabilibus obviiſq; comparatorum, parciſſimi: panem enim domi faciebant ex iis frumentis in

quaque.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

quaque regione, quorum ager ferax erat, atque ut ea terra producebat: haud, ut nunc, cribrationibus nimium exactis guſtui ſuaviorem reddentes. Quippe cum multo maxima virium pars hoc pacto deperdatur. Carne veſcebantur aut ferina, in venatione plurimum capientes voluptatis, roburque haud exiguum per eam corporis adjicientes viribus; aut animantium domeſticorum, idque maxime bubula, ut & hodie, ſed diverſo à reliquis nationibus modo. Vitulos enim maſculos tenellos aut mactant aut caſtrantes ad agriculturam enutriunt. Alterius ſexus ad maturam ſervant ætatem, nec niſi dum gravidæ ſunt (quo fere tempore mirum in modum pingueſcunt) eſui idoneas judicant. Piſcium autem frequens uſus erat, non modo quod abundantem copiam maria fluminaque ſuppeditarent, ſed quod per continua bella vaſtatis agris deſerta rurſum loca occupare protinus (etſi pecora deerant) licebat, victum mari fluminibuſque abunde ſatis ſuppeditantibus. Ex his igitur tenue ſumentes jentaculum in cœnam uſque ſuſtentabantur, nec cibis pleno ventre gravatus animus ad munia ſua obeunda erat ineptus. Cœna utebantur largiore, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

tamen unum non excederet ferculum. Si quando vero animos exhilarare libebat, potus genus, quam aquam vivam vocant, non ex aromatibus exoticis, ſed patriis herbis, thymo, mentha, aniſo, ſimilibuſque odoratis, per diſtillationem, ut nunc quoque fit, conficiebant. Vulgaris alioqui illis quoque potus in uſu quotidiano fuit quam cereviſiam appellamus. Sed in caſtris potum latices præbebant. Panem ſibi quiſque tanta accepta in diem farina, quanti uni ſatis erat, eaque aqua mixta, ſubactaque, atque in maſſam compacta, ſubjectis carbonibus faciebant. Quod & Romanos aliquando & ipſum etiam Antoninum Caracallam Imperatorem apud Herodianum factitaſſe legimus. Carnium illic rarus uſus, niſi quas ex præda accepiſſent; eaſque ſemicrudas deſumebant, ſucci ita optimi plurimum ineſſe aſſerentes. Piſcium vero ad Solem ſiccatorum crebrior, atque adeo ſolus uſus, ſi pecora nulla hoſtilis præbuiſſet ager. Semper autem maſſam quandam ex farina, butyro, caſeo, lacte, atque aceto temperatam, contra extremam famem domo aſportabant, multos nonnunquam dies, ubi extrema commeatus inopia premebat ejus ſuctu appetitum lactando vitam

ſuſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

uſtinentes. Rurſum ubi pax & ab ho-
tibus otium erat, corpora non molli
ègnitie corrumpebant, ſed aut vena-
u, cui plurimus ſemper apud nos ho-
nos habitus fuit, aut curſibus longin-
quis, imo impetu montium juga ſupe-
rantes, rurſumque dicto citius in pla-
num ſeſe præcipitantes, aut luctis reli-
quiſque palæſtricis certaminibus aſſi-
duis, exercebant. Nudis ſemper capi-
tibus, idque tonſis, relicta modo in
fronte veteri Hiſpanorum more tor-
tula capillorum ac cirro quodam, niſi
ægritudo obſtaret, incedebant. Hinc
nullus, propter continuam capitis ton-
ſuram, calvus olim apud nos viſus eſt.
Pedibus vero aut nudis, aut in calcea-
mentis de induſtria humefactis: Idque
potiſſimum hyeme. Vt, calvaria ad
Solem indurata, &, pedibus ad nives, &
caloris & frigoris ubique patientes eſ-
ſent. Veſtimenta autem non ad luxum,
ſed, ut maxime uſibus accommoda eſ-
ſent, ferre gaudebant: caligas non ultra
genua ſurſum ductas, quas ex lino aut
lana fecerant: femoralia plerique ex
cannabe; chlamydes, æſtate quidam ex
lana ſubtiliore, hyeme vero ex rudiore
contextas, complicatas, & in idoneam
figuram conſutas. Cubile pavimen-
tum, aut ſtrata ſacco ſcamna, præbe-
 bant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

bant. Eam liberis curam parentes ab ineunte ſtatim ætate adhibebant. Neque enim accerſebant lactandis infantibus nutrices, ſed ſuo ipſæ ſucco matres proles ſuas educabant; probri id loco ducentes, nec adulterii ſuſpicione carere, ſi qua forte fortuna lacte deficiente ad nutricationem haud ſufficeret. Hoc enim pacto legitimas proles probari ajebant, ſi, quas utero foviſſent, eaſdē in lucem editas enutrire natura non recuſaret, matriſque munus ſolæ implentes nullam liberorum partem nutricibus cederent. Degenerare item nonnihil prudentiſſimi homines à parentum natura filios arbitrabantur, familiari matris in utero alimento aſſuetos, ubi ad aliena ubera admoverentur. Itaque ferendis omnibus ex aſſuetudine laboribus pares, cum opus erat, non æſtate ſolem, non hyeme frigus metuere, pedibus plerunque iter facere, impedimenta ſua ac ſarcinas interdum onerariis equis interdum humeris ipſimet ſuis ferre, nullum laborem recuſare, quem duces aut caſtris faciendis, aut itinere præceperant. Si quando vero Mars cecidiſſet adverſus, pernici curſu, quo plerique equis haud erant inferiores, montium juga ſuperantes, incumbentium manus hoſtium

eva-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

evadere. Acceptam autem contumeliam, pariter omnibus æqualem inuſtam exiſtimantes, non prius unquam dolere ceſſabant, animumve cura laxabant, quam ignominiam ſanguine hoſtium eluiſſent. Id quod ſingularis efficiebat militiæ diſciplina. Certatim enim nobiliſſimus quiſque in prima acie verſari, ac, dum facinus aliquod egregium perpetraret, conſpici, pro magna gloria ducere, benevolentiam invicem primates fideque ſubditi ſuperare contendere. Hac re ubi nobilium quiſpiam periculoſe medio prælio verſari conſpectus erat, qui illum ad bellum ſecuti fuerant, dominorum diſcrimine commoti, in medios ſeſe hoſtes immittere, & aut pro domino aut cum ipſo animam profundere ſæpe niſi ſunt. Nobilium ſepulchra obeliſcis decorare mos erat, totidem affixis, quot ipſorum ductu hoſtium occidiſſent nobiles. Si quiſpiam autem aut in itinere aut in caſtris igniario non inſtructus & gladium non lateri accinctum nec manu geſtare deprehenſus eſſet, loris per magnam ignominiam cædebatur. Levis tum fere armatura erat. Loricam aut ferream aut ex corio, lanceam aut arcum & gladium oblongum individue

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

lateri accinctum, umbone à zona propendente, ferebant. Ita enim ad invadendos hoſtes expeditos, nec quicquam, ubi ſuccumberent, fugæ impedimento fore arbitrabantur: nunc gravis armatura militantibus plus placet. Ea autem arma magna cum cura colebant, præcipuas clariſſimaſque in illis opes ponentes: neque id temere. Nam ſi quiſpiam gladium oppignoraſſet, exauthoratus mox commilicii conſortio, ut indignus, prohibebatur; quæ perjuro quoque pœna erat, eaque longe maxima ignominioſiſſimaque. Qui vero metu aut aciem deſeruiſſet, aut caſtris quopiam non obtento à duce commeatu profugiſſet, impune à quovis necabatur: omneſque ejus fortunæ fiſco aſcribebantur. Nec minor prope tum imbecilliori ſexui virtus inerat quam ipſis viris. Nam aut virgines, aut una cum maritis uxores, ſi nec gravidæ eſſent, & ætate etiamnum florerent, ad militiam dabant nomina, haud parvo rebus gerendis auxilio. Cæterum ad bellum exeuntes, occiſo, quod primum obvium occurriſſet, animali, ſanguine ejus gladii cuſpidem tingentes deguſtabant, ea ſibi proſpera fore auſpicia pollicentes. At ſi in pugna proprium effundi vidiſſent ſanguinem, non ſtatim

pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

proſtrato animo concidebant, ſed irritato potius viribus omnibus in hoſtes velut furentes incurrebant. In bellis autem gerendis, aut privatis item inimicitiis, nihil dolo, nihilque fraude, agebant; aperto Marte decernere ac vincere, generoſum ducentes: Turpe vero arbitrabantur, inimicitias blandiloquio occultantes, per dolum poſtea nec opinantibus inſultare; cenſentes, id eſſe imbecillium, nec ſuis viribus confidentium. Simplicitatem omnes ſynceritatemque ex æquo ſemper colebant. Quum ad bellum eſſet proficiſcendum, unuſquiſque proprio ſumtu, & id fere abſque conductitio milite, (qui mos adhuc à noſtris obſervatur,) ſub rege militabat. Morbo comitiali, amentia, mania, aut ſimili tabe, quæ facile in prolem transfunditur, laborantes inter eos, ingenti facta indagine inventos, ne genus fœda contagione ab iis, qui ex illis prognati forent, læderetur, caſtraverunt; mulieres, hujuſmodi morborum quavis tabe leprave infectas, procul à virorum conſortio ablegaverunt. Quod ſi harum aliqua concepiſſe inveniebatur, ſimul cum fœtu nondum edito defodiebatur viva. Voraces, manducones, ſupra quam erat humanum, helluoneſque, & per-

petuæ ebrietati indulgentes aut addictos, ne tam fœda monſtra in patriæ dedecus ſupereſſent, flumine mergentes, prius, quantum libuit, & cibi & potus vorare ac ingurgitare eis præbentes, miti ſupplicio exterminârunt. Iuſtitia, ut belli temporibus pene exulabat, ita cum pace reducta primas ubique partes agebat: uſque adeo ut in hanc eſſent partem plus æquo interdum ſeveriores. Nam ſolutam in bello licentiam ſeveritate compeſcendam ducentes, nullum interim modum vindicandis injuriis ſatis imprudenter adhibebant, quum ſenſim potius eſſent reducendi quam violenter retrahendi. Itaque facinoris alicujus conſcii, pro certo habentes, vindicis manus ſeſe effugere non poſſe, ſeditiones nonnunquam ac rebelliones ſupplicii metu concitarunt. Cum alioqui, ſi moderate tractares, nullibi manſuetiores rationique obtemperantiores invenias. At in privatis contractibus ita ſuum unicuique reddunt, ut ad definitam menſuram auctarium ſemper quoddam accedat: qui mos adeo invaluit hoc tempore, ut contractum emptor diſrumpat ſi denegetur. Nos vero, qui in confinio Angliæ ſedes habemus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ſicut Saxonum linguam, per multa commercia bellaque, ab illis didicimus, noſtramque deſeruimus: ita priſcos omnes mores reliquimus, priſcuſque nobis mos ſcribendi, ut & ſermo, incognitus eſt. At qui montana incolunt, ut linguam, ita & cætera prope omnia arctiſſime tuentur. Quale eſt, quod naviculis vimine contextis, bovis tergore ambiente, in fluminibus trajiciendis, piſcandiſque ſalmonibus, utuntur, quocunque opus eſt humeris ſuis circumferentes. Atque hæc quidem de antiquitate. Labentibus autem ſeculis, idque maxime circa Malcolmi Cammoir tempora, mutari cuncta cœperunt. Vicinis enim Britannis primum à Romanis ſubactis, ocioque enervatis, ac poſtea à Saxonibus expulſis, commilitii eorum commercio nonnihil, mox Pictis quoque deletis, ubi affinitate Anglis conjungi cœpimus, expanſo, ut ita dicam, gremio, quoque mores eorum amplexi imbibimus. Minus enim priſca patrum virtus in pretio eſſe cœperat, permanente nihilominus vetere gloriæ cupiditate. Verum, haud recta inſiſtentes via, umbras germanæ gloriæ, non veram ſectabantur; cognomina ſibi nobilitatis

impo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

imponentes, eaque Anglorum more oſtentantes atque jactantes; quum antea is haberi eſſeque nobiliſſimus ſoleret, qui virtute, non opibus, qui egregiis à ſe factis, non majorum ſuorum, clarus erat. Hinc illæ natæ ſunt Ducum, Comitum, ac reliquorum id genus ad oſtentationem confictæ appellationes. Quum antea ejuſdem poteſtatis eſſe ſolerent, qui thani, id eſt, quæſtores regii, dicebantur, illis muneribus ob fidem virtutemque donati. At hac jam ætate quantum à majorum noſtrorum continentia, quantumque ab eorum virtute deſciverimus, cui tanta eſt eloquentiæ vis, cui tanta rerum verborumque copia, qui, ut dignum eſt, explicare poſſit? ubi pro ſobrietate plerunque ebrietatem, pro ciborum frugalitate continentiaque epularum immoderatum luxum, complectimur; ac perinde ſi id honeſtiſſimum ſit, non modo quamplurima devorare, ſed infinita & exquiſitiſſima ciborum genera, quæ exſaturatam libidinem ſemper novitate ſua ad plus ſumendum quam natura ferat, irrirent, redundare.

V.DE

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

V.

DE COMMERCIIS SCOTORUM, & regni reditibus.

DE commerciis Scotorum hæc à Morriſonio Anglo accepimus. Scoti ſuperioribus annis, navigiis majoribus haudquaquam abundarunt, neque navigandi ſcientia plurimum valuerunt. Quare Reges Scotiæ ut ſuos magis magiſque ad rei nauticæ gloriam accenderent, nulla aut perexigua telonia navigantibus indixerant. Bello autem inter Anglos & Hiſpanos terra marique vigente, Scoti, belli immunes, &, ut ita dicam, neutri inter utroſque, crebrius in Hiſpaniam navigare adorſi ſunt, ab Anglis inprimis inſtigati, quorum merces vehebant. Quo factum eſt ut & navigiorum numerus & induſtria mirum in modum augeretur. Nam cum Scoti pericula vel maxime contemnant, nulla idonea ratio produci poteſt, (licet adhuc nullas longinquas expeditiones ſuſceperint,) quare non etiam audaces & induſtrii juxta nautæ fieri poſſint; evidenti argumento, magis inopia earum rerum quæ ad longinquas expeditiones neceſſariæ ſunt, quam inſci-

tia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

tia aut formidine, fuiſſe coërcitos. Porro qui occidentalem Scotiæ plagam incolunt, in Hyberniam & loca maxime vicina, haleces, partim ſale conditos, partim fumo induratos, carbones foſſiles, aquam vitæ, & ſimiles merces, trãſvehunt, & ex Hybernia vel argentum, vel boum tergora, & linea filamenta, reducunt. Qui ad orientalem Scotiam incolunt, in Galliam traducunt pannos indies, tam laneos quam lineos; item lanam, pelles caprarum, etiamque cuniculorum; diverſa piſcium genera, qui in hocce mari Scotico capiuntur, ſale condita, aut ad ſolem ventumque aut fumum ſiccata: è qua ſalem & vina referunt. Præcipua autem commercia quatuor locis exercent. Primo Veræ in Zelandia; quo ſalem, & ingentem pellium ovillarum numerum, itemque exuvias lutrarum & ſimilium ferarum, vehunt; indeque præter argentum etiam frumentum revehunt. Secundo Burdegalæ in Gallia; quo pannos & pelles ducunt; & vina, pruna, juglandes, caſtaneas, reducunt. Tertio in Mari Balthico; quo eadem convehunt; & inde linum, cannabin, ferrum, picemque petunt. Denique in Angliam lineos pannos, filamenta & ſalem inferunt, & viciſſim ex ea triticum, hordeum,

& fa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

& fabas, & ſimiles fruges efferunt.

Reditus Regni Scotiæ tenuiſſimi fuerunt. nam Rex Malcolmus Mackenneth, ejus nominis ſecundus, anno Chriſti 1004, dedit & diſtribuit totam terram Regni Scotiæ hominibus ſuis; & nihil ſibi retinuit in proprietate, niſi Regiam dignitatem, & montem Placiti in villa de Scona; & ibi omnes Barones conceſſerunt ſibi vvardam & relevium de hærede cujuſque Baronis defuncti, ad ſuſtentationem Domini Regis. VVarda (inquit Skenæus) verbum eſt Gallicum; illi enim guardiam, nos vvardam dicimus; nam illis G, nobis VV eſt in uſu; illi enim guarenter, nos vvarantizare; illi guarenna, nos vvarenna; illi guarderobe, nos vvarderobe; illi guardianus, nos vvardianus dicimus. Et in jure Canonico, Guardia Eccleſiæ, eſt cuſtodia Eccleſiæ. l. præterea. 23. de jure patronatus. In lib. feud. Feudum guardiæ idem eſt ac feudum cuſtodiæ. Ex hoc igitur loco manifeſtum eſt, guardiam, hoc eſt, cuſtodiam ſive tutelam, non ſolum terrarum, ſed etiam perſonæ hæredis, feudi militaris, quod tenetur de Rege in capite, pertinere ad Regem: & hæredis perſonam, ejuſque terras eſſe in tutela regia, uſque ad perfectam ejus ætatem; nempe

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

in maſculo hærede ad 21 ætatis ann. completum; in fœmina vero ad 14 annum, vel quouſque, dum nupſerit conſilio Regis. lib. 2. Reg. Majeſt. cap. 41. & ſeqq. De poteſtate quam domini ratione vvardæ habent in hæredes ſuorum hominum, cap. 48. Præterea, poteſtas hæredum in matrimonio collocandorum, penes Regem, cum ad nubilem ætatem pervenerint: adeo ut dos ad eum jure pertineat. Vulgo maritagium hæredis dicunt. Relevium, à relevando dictum, ſignificat certam pecuniam, vel unius anni, finem vvardæ proxime ſequentis, annuum cenſum, (vulgo novum extentum vocant,) quem hæres feudi militaris, qui perfectam ætatem exceſſit, Regi vel alii ſuo domino capitali dat. Per quam, hæreditatem ſuam vel terras, quæ in manus Regis vel domini ſui ſuperioris ratione vvardæ ceciderant, relevat, hoc eſt, reſuſcitat, & à Rege vel domino ſuo redimit.

In legibus autem & conſuetudinibus burgorum per Davidem primum editis dicitur: Quilibet burgenſis debet domino Regi burgagio, quod defendit, pro perticata terra, quinque denarios annuatim. Hujuſmodi redditus burgorum, (burrovv maëlis) inquit Skenæus,

kenæus, incorporantur fiſco, & patrimonio Regis annexantur. Iac. 1. Parl. 1. cap. 8.

Mogaldus autem XXIII Scotorum Rex, legem iniquiſſimam (inquit Buchananus) condidit, ut damnatorum bona fiſco addicerentur, nullam in partem liberis & uxoribus admiſſis. Eam legem etſi omnibus iniquam & inhumanam & tum intelligerent & nunc intelligant, tamen à fiſci procuratoribus, qui Regum cupiditatibus lenocinantur, hac etiam ætate defenditur.

Reges Scotiæ (inquit Iacobus ſextus Scotorum Rex, oratione tertia ad parlamentum Angliæ) cum ex ſuo ærario, quemadmodum Reges Angliæ, exercitui alendo non eſſent, edicebant ſuis ut certo die ad ſigna adeſſent, denunciata adverſus contumaces perduellionis pœna. Ita viri nobiles & generoſi, ut cochleæ, quæ ſuam domum circumferunt, in caſtra veniebant, inſtructi nummis, pellibus, annona, &, ut verbo dicam, nihil expectantes à Rege: quem proinde æquum erat futuræ expeditionis ſpatium edicto definire, abſque quo illi certum ſui apparatus modum definire non poterant; præſertim dum intra patriæ fines morarentur, ubi nulla ſpes prædæ prout in hoſtico

relicta erat. Sed neque lege ulla certus dierum numerus ſancitur; & penes Regem eſt, eos quam diu libet ultro detinere, & novum edictum ante proponere, quam tempus exeat prioris, quum eorum ſit illi ſervire & adeſſe, vel, ſi opus ſit, ad decennium.

VI.

SCOTIÆ REGIMEN,
ex Camdeno, & aliis.

Scotiæ diviſio.

VNiverſa pars ſeptentrionalis inſulæ Britanniæ antiquitus à Pictis inſeſſa fuit: qui in duas gentes diviſi, Dicalidonios ſcilicet, & Vecturiones. Cum Scoti autem in hac parte rerum potiti eſſent, in ſeptem partes inter ſeptem principes partita fuit, ut habetur in antiquo libello de Scotiæ diviſione hiſce verbis:

Prima pars continebat Enegus & Maer.

Secunda Atheold & Goverin.

Tertia Stradeern cum Meneted.

Quarta fuit Fortherer.

Quinta Mar cum Buchen.

Sexta Muref & Ros.

Sept.

Septima Cathaneſia, quam Mound mons medius dividit, qui à mari occidentali ad orientale percurrit.

Deinde refert idem author ex relatione Andreæ Epiſcopi Cathaneſii, in ſeptem itidem territoria totum Regnum fuiſſe partitum.

Primum a Friith Britannice, VVorid Romane, nunc Scottvvade, ad Tae flu.

Secundum ad Hilef, ſicut mare circuit ad montem in aquilonari parte de Strivelin nomine Athran.

Tertium ab Hilef ad Dee.

Quartum à Dee ad Spe flu.

Quintum à Spe ad montem Brunalban.

Sextum Mures & Ros.

Septimum regnum Argathel, quaſi margo Scotorum, qui ſic vocati fuerunt à Gathelgas duce.

Secundum gentium habitudinem dividitur in Highland-men & Lavvland-men, id eſt, ſuperiores & inferiores. hi politiores Anglorum lingua & habitu utuntur, illi incultiores & præferoces Hibernicorum. Limitaneos, quos Borderes vocant, ex hac diviſione excludo, quia illi, pace jam undique affulgente ex fauſta & felici unione, in Britannici imperii umbilico ſunt cen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ſendi, & bellorum pertæſi pacis ſtudiis ſe aſſueſcere incipiunt.

Secundum locorum habitudinem rurſus univerſum regnum in duas diſtribuitur partes: Auſtralem cis Taum flumen, & Borealem trans Taum, præter numeroſas inſulas circumpoſitas. In parte Auſtrali hæ ſunt regiones inſigniores: Teifidale, Merck, Lauden, Liddeſdale, Eskedale, Annandale, Niddeſdale, Gallovvay, Carrick, Kyle, Cunningham, Arran, Cluydeſdale, Lennox, Stirling, Fife, Strathern, Menteith, Argile, Cantire, Lorn. In parte autem Boreali; Loquabria, Braidalbin, Perth, Athol, Angnish, Mern, Marr, Buquhan, Murray, Roſs, Sutherland, Cathanes, Strathnavern. Hæ rurſus ad Civilem adminiſtrationem dividuntur in præfecturas, conventus ſive Comitatus; Shiriff domes vocant: Seneſchalſias, vulgo Stevvarties: & Ballivatus ſive Baileries. Comitatus ſunt; Edenburgh, Lynthyquo, Selkirk, Roxburgh, Peblis, Bervvick, Lanarck, Renfreuvv, Dunfreis, VVighton, Aire, Bute, Argyle & Tarbet, Dumbarton, Perth, Clackmannan, Kinros, Fiffe, Kincardin, Forfair, Abeidene, Baniff, Elgin, Forres, Narne, Innerneſs, Cromartie, Orknay, & Shetland. Seneſcalciæ;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ſcalciæ; Menteith, Strathern, Kircudbricht, Annandall. Ballivatus; Kile, Carick, Cunningham. Haddington, Conſtabulariatus.

Quod ad adminiſtrationem divinæ illius civitatis, quam Eccleſiam vocamus; Vt reliqui orbis Epiſcopi certas diœceſes non habuerunt, antequàm Dionyſius Pontifex Romanus circa annum CCLXVIII Epiſcopis diœceſes diſtribueret; Ita Scotorum Epiſcopi munera Epiſcopalia, quocunque fuerant loco, ſine diſcrimine obierunt, uſque ad Malcolmi tertii tempora, circa annum ſcilicet reſtauratæ ſalutis MLXX, cum ſuis finibus & limitibus diœceſes eſſent circumſcriptæ. Poſtea decurſu temporis hæc conſtabilita fuit in Scotia Hierarchia. Duo ſunt Archiepiſcopi; S. Andreæ, & Glaſcoenſis. Quorum ille primas totius Scotiæ habetur: ſub cuius authoritate octo ſunt Epiſcopatus; Dunkeldenſis, Aberdonenſis, Moravienſis, Damblanenſis, Brechinenſis, Roſſenſis, Cathanenſis, Orchadenſis. Glaſcoenſi Archiepiſcopo tantum ſubſunt Candidæ caſæ, Liſmorienſis, Inſularum.

Ordines Scotiæ.

Reſpublica Scotorum, perinde atque

Anglorum, conſtat ex Rege, Nobilibus, & plebe.

Rex, ut ex ipſorum ſacris ſcriniis loquar, directus eſt totius dominii Dominus; regiamque habet authoritatem & juriſdictionem in omnes regni ſui ordines, tam Eccleſiaſticos, quam Laicos.

Proximus à rege eſt filius ejus primogenitus, qui princeps Scotiæ appellatur;& peculiari jure dux eſt Rotſayæ, Scotiæque Seneſcallus.

Reliqui vero Regis liberi, abſolute principes appellantur.

Inter Nobiles ampliſſimi & honoratiſſimi olim erant Thani, id eſt, qui, ſi quid video, ex munere ſolummodo quo defungebantur, erant nobilitati, dictio enim in antiqua Anglo-Saxonum lingua miniſtrum Regium denotat. Ex his ſuperiores dicti erant Abthanes,& inferiores Vnder-thanes.

Annot. Stuartus totius Scotiæ. Hic magiſtratus (inquit Buchananus) cenſus omnes regios colligit: juriſdictionem etiam qualem conventuum præfecti, habet, ac prorſus idem eſt cum eo quem priores Thanum appellabant. Atque nunc ſermone Anglico patrium ſuperante regionum Thani pleriſque in locis Stuarti appellantur, & qui illis

erat

erat Ab-thanus, nunc Stuartus Scotiæ nominatur. paucis in locis vetus Thani nomen adhuc manet.

Verum hæc nomina paulatim exoleverunt ex quo Rex Malcolmus tertius Comitum & Baronum titulos ex Anglia à Normannis acceptos Nobilibus bene merentibus detuliſſet. Iam inde temporum decurſu novi honorum tituli invaluerunt, & habet Scotia perinde ac Anglia ſuos Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites & Barones.

Ducis titulum primus in Scotiam intulit circa annum Salutis MCCCC Robertus tertius, ut honorarios Marchionis & Vicecomitis titulos recenti memoria Rex noſter ſereniſſimus Iacobus Sextus.

Hi Nobiles cenſentur majores, & locum ſuffragiumque in comitiis parlamentariis habent, & peculiari appellatione Lordes, uti etiam Epiſcopi, inſigniuntur.

Inter Nobiles minores primo loco ſunt Equites aurati, qui ſane celebriori quam alibi in Europa ſolemnitate jurejurando adhibito creantur, & publica fæcialium voce denunciantur.

Secundo illi qui Lairds & Barones ſimpliciter vulgo vocantur. inter quos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

nulli olim accenſebantur niſi qui immediate terras à Rege in capite tenuerunt & jus furcarum habuerunt.

Tertio qui clarioribus familiis nati & nullo certo honore inſigniti Gentlemen appellantur.

Cæteri omnes utique Cives, Mercatores, Artifices, &c. plebi annumerantur.

Fora Iuſtitiæ, ſive Tribunalia.

Primum & præcipuum tam dignitate quam poteſtate cenſetur Ordinum Regni conventus, qui eodem quo apud Anglos nomine vocatur Parlamentum, & eandem abſolutiſſimam habet autoritatem.

Ex triplici conſtat ordine: ex Dominis Spiritualibus, Epiſcopis ſc., Abbatibus, Prioribus; & ex Dominis Temporalibus, Ducibus ſc., Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, & delegatis pro Civitatibus & Burgis. Quibus adjuncti erant non ita pridem pro ſingulis etiam Comitatibus duo delegati. Indicitur à Rege pro arbitrio, certo tempore præfinito antequam habeatur. Cum convenerint, & conveniendi cauſæ à Rege & Cancellario explicatæ fuerint, Domini Spirituales corſim ſeligunt octo ex Dominis Temporalibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

poralibus. Domini Temporales item totidem ex Spiritualibus. Inde iidem omnes conjunctim octo ex Comitatuum delegatis, totidemque ex Burgorum delegatis nominant. Qui numerum XXXII conficiunt; & Domini pro Articulis appellari, cum Cancellario, Theſaurario, privati ſigilli cuſtode, Secretario Regio, &c. ſingula quæ ad Ordines referenda proponuntur, admittunt aut rejiciunt, Regi prius communicata. Admiſſa ab univerſo Ordinum conventu ſedulo excutiuntur; & quæ pro ſuffragiorũ numero comprobantur, Regi exhibentur; qui admoto ſceptro ſe confirmare vel infirmare pronuntiat; ſin aliquid Regi diſpliceat, primum deletur.

ANNOT. In Scotiæ Comitiis (inquit Rex Iacobus Sextus in oratione ſua tertia) abſque Cancellarii venia, cujus quoque eſt ſeditioſos aut ineptos ſtatim interfari, nemini loqui licet.

Idem. Mos Comitiorum in Scotia, mihi credite, nihil habet populare. viginti fere diebus ante Comitia edicitur paſſim omnibus ut regio Chartophylaci (quem vos Magiſtrum Rotularum dicitis) quæſtiones proximo conventu ventilendas ante certum diem exhibeant ſcriptas. Eas Rex privatim exa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

minat, & quas viſum eſt Cancellario ſuo tradit in Comitiis proponendas, cæteris ſuppreſſis. Quod ſi quis de alia quavis re ad Ordines retulerit, ſtatim monetur à Cancellario nullam ejuſmodi quæſtionem Regi fuiſſe approbatam. Tum leges de his rebus ab Ordinibus latæ exhibentur Regi. Ille ſceptro conſpicuus quod à Cancellario porrigitur, neceſſe habet dicere, EGO RATA HABEO QVAECVNQVE IN COMITIIS HISCE FACTA SVNT: Nam ſi quid Regi diſplicet, id ante ſolet induci & deleri.

Secundum à Parlamento eſt Collegium Iuſtitiæ, ſive, ut vocant, The Seſſion; quod Rex Iacobus quintus anno cIↄ Iↄ xxxii inſtituit ad formam Parlamenti Pariſienſis, ex Præſide, quatuordecim Senatoribus, ſeptem Eccleſiaſticis, totidemque Laicis, (quibus poſtea fuit adjunctus Cancellarius, qui primum locum obtinet, & quinque alii Senatores) tribus ſcribis primariis, & Advocatis quot viſum fuerit Senatoribus.

Ius autem non ſecundum rigorem juris ſed ex æquo & bono dicunt diebus ſingulis (præterquam dominico & die lunæ) à primo Novembr. ad xv Martii, & à feſto Trinitatis ad Kal. Auguſti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

guſti. Temporibus autem interjectis, ſcilicet quæ ſunt ſerendi & metendi, juſtitium eſt, & judiciariæ curæ relaxantur. Iudicant vero ex Statutis Regni Parlamentariis, & ubi illa deficiunt, ex Iure Cæſareo.

Inferiora etiam ſunt in ſingulis Comitatibus fora civilia, in quibus Vicecomes, aut qui ab eo delegatus, jus dicit incolis, de ejectionibus, intruſionibus, damnis, debitis, &c. à quibus ob iniquitatem aut affinitatis rationem ad Iuſtitiæ collegium nonnunquam appellatur. Vicecomites autem quos dico, plerique omnes ſunt hæreditarii. Reges enim Scotorum perinde ac Anglorum ut nobiliores beneficiis ſibi firmius aſtringerent, hæreditarios & perpetuos Vicecomites olim inſtituerunt. Quæ autem hinc intervenerint incommoda, Angli ſtatim perſpexerunt, & conſulto in annuos mutarunt. Civilia etiam fora habentur in feudis Regalibus ab ejus Ballivo, qui Regis munificentia regales conſequutus eſt libertates; & etiam in liberis Burgis & civitatibus & Magiſtratibus.

ANNOTAT. Statuta Regni in certum ordinem redigi curavit Malcolmus Mackenneth ejus nominis ſecundus. E quibus hos miniſtros Regios accepimus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

mus, Cancellarium, Iuſtitiarium, Camerarium, Seneſcallum, Conſtabularium, Mareſcallos, Vicecomites, Coronatorem. Deinde Rex David ejus nominis primus Leges Scotiæ quatuor libris ad imitationem quatuor librorum inſtitutionum Iuris Civilis componi & publicari mandavit anno Chriſti 1124. Quibus ſucceſſu temporis plures collectiones acceſſerunt; quæ omnes à Ioanne Skenæo editæ & notis illuſtratæ.

De jure autem Scotiæ operæ precium eſt ipſum Regem Iacobum ſextum audire in oratione illius tertia ad Parlamentum Angliæ. Nullum (inquit) eſt proprium Scotiæ jus, quod juri hujus populi municipali, quod vulgo Commune dicitur, reſpondeat, ſed totum quantum quantum eſt è triplici conſtat genere. Nam univerſum illud jus tenendi, poſſidendi, dominii, & cætera hujus generis, cancellariatui Angliæ debemus. Vbi æquitatis, non juris diſceptatio eſt, majora ſunt inter nos verborum quam rerum divortia. Iacobus primus, apud vos educatus, leges Anglicas in Scotiam ſcriptas ſecum invexit. Secundum genus faciunt ſtatuta Regni, quæ Comitiorum acta nominantur. Ibi enim illis, ut hic vobis,

bis, rogandarum legum jus eſt: quas leges jam vobis licebit excutere; neque enim ſpero amplius in ea Republica vos hoſpites fore. nec diffiteor præcipuum eſſe hujus unionis opus utriuſque regni inter ſe ſtatuta conciliare. Tertium genus eſt è jure civili, cujus introducendi auctor erat Iacobus quintus, inſtituta apud nos perpetua Curia, ad illius imaginem, quam in Gallia ipſe viderat. Horum eſt in omni controverſia civili jus dicere. Nec tamen omnia, ut in Gallia, ad juris civilis amuſſim exigunt: nam ſi conſtet, gentis ſtatuta adverſari, non datur juri civili locus: & Præſes Curiæ, ſi officium facit, ubi quæſtio in noſtro jure deciditur, jus civile non audit. Tum demum apud eos juri civili locus eſt, ubi municipale deficit.

Fora etiam ſunt quæ the Commiſſariat vocant, quorum ſupremum Edenburgi habetur, in quo coram quatuor Iudicibus agitur de rebus Teſtamentariis, jure Beneficiorum Eccleſiaſticorum, decimis, divortiis, & cæteris id genus Eccleſiaſticis. In cæteris fere ſingulis Regni partibus ad hæc Iudices ſunt ſinguli.

In Criminalibus primarius Regis Iuſticiarius forum ſuum Edinburgi ple-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

rumque habet. quod munus jam aliquandiu geſſerunt Comites Argathenæ. qui duos vel tres Iuriſconſultos delegant, qui de Capitalibus, aut quæ membrorum mutilationem aut univerſorum bonorum amiſſionem inferant, cognoſcunt. Et hoc in foro Reo permiſſum eſt, etiam in læſæ Majeſtatis crimine, ſibi aſciſcere advocatum qui ſuam cauſam agat.

ANNOTAT. Ad Coronam Domini Regis & illius Iuſtitiarii pertinet, crimen læſæ Majeſtatis, item occultatio Theſauri frauduloſa, placitum de pace Domini Regis infracta, homicidiū, roboria, raptus, incendium, murthrum, crimen falſi vel de falſa menſura, falſa charta, falſa moneta, & ſi qua ſunt ſimilia, quæ ultimo puniuntur ſupplicio aut membrorum truncatione.

Iuſtitiarii etiam in criminalibus nonnunquam Regia authoritate ad hanc vel illam cauſam particularem cognoſcendam conſtituuntur.

Vicecomites etiam in ſuis territoriis & magiſtratus in burgis nonnullis de homicidio cognoſcunt (homicida intra ſpatium XXIV horarum deprehenſo) & à Iuratoribus reum peractum extremo ſupplicio afficiunt; verum tempore illo elapſo, cauſa ad Iuſtitiarium Re-

gium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

gium vel Delegatos refertur. Eodem etiam privilegio gaudent Nobiles nonnulli contra latrones in ipſorum juriſdictionibus deprehenſos.

ANNOTAT. Idem & de furtis cognoſcunt: ſecundum leges Davidis primi.

Sunt etiam qui ejuſmodi habent Regalia ut in criminalibus intra ſuos limites juriſdictionem exerceant, & in cauſis nonnullis intra ipſorum terminos habitantes à Regio Iuſtitiario revocent, cautione tamen interpoſita ut ex lege jus tribuant.

VII.

CATALOGVS REGVM Scotiæ, *ex Hectore Boëthio, & Georgio Buchanano.*

1 FErguſius primus Scotorum Rex, filius Ferquardi Regis Hiberniæ, regnare incepit anno ante Chriſti Servatoris in carnem adventum trecenteſimo trigeſimo; regnavit annis XXV, & naufragio periit ad Scopulum Ferguſii (Cragfergus vernacule) in mari Hybernico.

II. Feritharis, Ferguſii germanus, ſuc-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ſucceſſit, quia Ferguſii liberorum ætas nondum regno idonea erat ; & regnavit annis quindecim, à Ferlego ex fratre nepote ex inſidiis cæſus.

III. Mainus, Ferguſii filius natu minor, majore ob indignam patrui cædem damnato, ſucceſſit, & XXIX annos regnavit.

IV. Dornadilla, Maini filius, XXVIII annos poſt patrem regnavit, & ad Berigonium eſt ſepultus.

V. Nothatus, Dornadillæ germanus, ſuffragio populi regnum adeptus, per tyrannidem exercuit annis 20. à Dovalo è Gallovidia cæſus.

VI. Reutherus, Dornadillæ filius, à Dovali factione ſine populi ſuffragiis Rex appellatus ; itaque à ſuis pulſus in Hyberniam fugit, & poſtmodum reſtitutus, 26 annos regnavit, mortuus Berigonii.

VII. Reuther, Reutheris frater, Thereo Reutheris filio adhuc minore, regnare juſſus, decimo quarto regni anno ſponte ſe abdicavit.

VIII. Thereus, patruo ſuccedens regnum multis flagitiis contaminavit; & ſuorum inſidias metuens, Eboracum perfugit, ibidemque expiravit, anno regni ſui duodecimo.

IX. Ioſina, Therei frater, 24 annos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

regnum tenuit, Berigonii mortuus.

x. Fumanus, Ioſinæ filius, regnum adeptus bonis artibus exercuit, & 30 regni anno omnibus carus deceſſit, & Berigonii ſepelitur.

xi. Durſtus filius ſucceſſit, vita in omnia vitia projecta; itaque nobilium conjuratione eſt interfectus, poſtquam 9 annos regnaſſet.

xii. Evenus, Durſti frater patruelis, ſucceſſit, & decimo nono regni ſui anno, multis bello & pace feliciter geſtis, obiit.

xiii. Gillus, Eveni nothus, tyrannice occupat regnum, Durſti familiam exterminare anniſus. multos nobiles & inter hos quatuor regios adoleſcentes interfecit. Dovalli tandem opera in Hiberniam pulſus interficitur, poſtquam biennium regnaſſet.

xiv. Evenus ſecundus, Finnani è Dovallo fratre nepos, regnat annis triginta ſeptem; Orcades tumultuantes compeſcuit; Everneſſam in Moravia, & Ennerlotheam in Loquhabria, condidit.

xv. Ederus, Durſti à Dothano filio nepos, 48 annis regnavit, in campo Evonii ſepultus.

xvi. Evenus tertius, Ederi filius, omnium flagitioſiſſimus, ideoque à ſuis

captus, & ſeptimo principatus ſui anno in carcere ſtrangulatus eſt.

XVII. Metellanus, Ederi nepos ex fratre Carrano, ob egregias virtutes omnibus carus, regnavit annis 39, ut Boëthius tradit, aut 30 tantum, ut Buchananus.

XVIII. Carataeus ſive Caractacus, Metellani Regis ex ſorore Europeia nepos, regnum varia fortuna tenuit annis viginti; obiit anno à Chriſto nato 54.

XIX. Corbredus, Caractaci frater, regnavit annis 58.

XX. Dardanus, Metellani nepos, ob immaturam Corbredi filii ætatem, à proceribus Rex factus, & cum in omnia flagitia præceps rueret, quarto regni ſui anno ab eiſdem occiſus.

XXI. Corbredus II, cognomento Galdus, ſuperioris Corbredi filius. hic primus Romanorum arma expertus cum Agricolæ dudum inferior fuiſſet, illo à Domitiano revocato, Romanos rurſus è Scotorum finibus profligavit; & non minore apud hoſtes quam cives gloria clarus, triceſimo quinto regni ſui anno deceſſit.

XXII. Luctacus, Galdi filius, cum flagitioſiſſimam vitam avaritia crudelitateque ageret, in conventu publico

Evonii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Evonii à multitudine cæſus anno regni tertio.

XXIII. Mogaldus, Galdi è filia nepos, initio imperii optimis Regibus par, ſenior facile vitiorum contagio in avunculi mores abiit; itaque trigeſimo ſexto regni ſui anno à ſuis eſt occiſus.

XXIV. Conarus, Mogaldi filius, cum à majoribus magno labore parta luxu & libinibus profudiſſet, cenſum haberi & tributum indici poſtulavit; quo animi omnium ita fuerunt offenſi, ut Regem in carcerem conjicerent, & miniſtros exquiſitis ſuppliciis necarent: Prorege interim conſtituto Argado. Rex autem animi mœrore in carcere defecit decimo quarto regni ſui anno.

XXV. Ethodius, ex Mogaldi ſorore natus, princeps bello & pace clarus; trigeſimo tertio regni ſui anno, à fidicine quodam noctu in cubiculo ſuo occiſus eſt.

XXVI. Filio Ethodii nondum ad regnandum idoneo, frater Satrael ſucceſſit, & ob tyrannidem in nobiles juxta ac plebeios quarto regni ſui anno à ſuis noctu domi ſtrangulatus eſt.

XXVII. Donaldus, alter Ethodii germanus, mite ac moderatum egit imperium, primuſque Chriſtianos ritus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

accepit, & vigeſimo primo regni ſui anno obiit.

XXVIII. Ethodius, ſecundus ſuperioris Ethodii filius, homo prope ſtupidus; certe languidiore ingenio, quam cui tam ferocis populi moderatio conveniret. vigeſimo primo, ut Buchananus, aut decimo ſexto, ut Boëthius, regni ſui anno, familiarium tumultu occiſus.

XXIX. Athirco, Ethodii filius, magnæ primum ſpei, deinde in multa flagitia proclivis, nobilitati à Nathaloco, cujus filias conſtupraverat, in ſe concitatæ impar, & à ſuis deſertus, manum ſibi intulit, duodecimo quam regnare cœperat anno.

XXX. Nathalocus, magna parte nobilitatis adverſa, ab iis quos donis & promiſſis corruperat Rex factus, cum regnum eiſdem artibus quibus pepererat exerceret, à quodam ſuorum familiarium prope duodecimo regni anno occiditur.

XXXI. Findochus, Athirconis filius, in quotidiana conſuetudine ſumma humanitate, in jure dicundo æquitate, in promiſſis fide, decimo principatus ſui anno, inſidiis Donaldi Hebridiani, Garantio fratre conſcio, interiit.

XXXII. Donaldus II, Findochi germanus,

nanus, cum vindictam pararet, ab eodem Donaldo Inſulano, anno primo regni ſui vix circumacto, ſuperatus interiit.

XXXIII. Donaldus Inſulanus, regnum flagitio partum pejoribus artibus exercens, duodecimo regni ſui anno à Crathlintho, Findochi filio, ex inſidiis cæſus eſt.

XXXIV. Crathlinthus, magno ſtudio Rex creatus, 24 annis præfuit.

XXXV. Fincormachus fratri ſucceſſit, & non modo rempublicam bene adminiſtravit, ſed & religionem Chriſtianam ſedulo promovit; regnavitque annis 47.

XXXVI. Romachus Crathlinthi ex fratre nepos, regnum magis vi quam populi voluntate ſuſceptum crudeliter exercuit, & tertio regni ſui anno repentina nobilium conjuratione interiit.

XXXVII. Anguſianus, Romachi patruelis, ſucceſſit, ſecundoque regni ſui anno à Pictis eſt cæſus.

XXXVIII. Fetelmachus patruelis Anguſiano ſuffectus, cum magna clade Pictos perculiſſet, inſidiis ab iis petitus, fraude fidicinis ſui noctu jugulatus eſt anno regni ſui tertio.

XXXIX. Eugenius, ſive Evenus, Fin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

cormachi filius, à Maximo Romanorum duce & Pictis cum magna parte nobilitatis cæſus tertio regni ſui anno. Scoti deinceps patria pulſi, ut Boëthius tradit, 44, ſeu, ut Buchananus, 27 annis, ſine Rege fuerunt.

XL. Ferguſius II, Erthi filius, Echadii ſive Ethodii nepos, Eugenii pronepos, poſt interregnum Scotorum regnum adiit, anno Arcadii & Honorii ſexto, à Chriſto nato XLIV aut V; & poſt multa prælia cum Romanis varia fortuna geſta, demum ab illis eſt occiſus, poſtquam novem annos regnaſſet ſecundum Boëthium, ſecundum vero Buchananum 16.

XLI. Eugenius, ſive Evenus ſecundus, Fergusii filius, ſucceſſit, & Britones ad Vmbrum amnem uſque ſibi vectigales fecit, ſed tertio regni ſui anno à Vortigerno Saxonum & Anglorum copiis ſuffulto profligatus, aut in prœlio aut morbo interiit, anno Chriſti ſecundum Boëthium quadringenteſimo ſexageſimo; ſecundum Buchananum autem quinquageſimo ſecundo.

XLII. Dongardus, Eugenii germanus, in regnum ſuccedens poſt quintum regni annum deceſſit. Boëthius à Conſtantino Britonum rege in prælio interemtum tradit.

XLIII. Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

XLIII. Conſtantinus fratri Dongardo ſuccedens, ignavia adverſus hos, arrogantia in ſubditos & libidine, Scotos adeo offendit, ut pene rebellarent; demum à nobili Aebudenſi, cujus filiam ſtupraverat, eſt occiſus; anno regni ſui decimo ſeptimo. Buchananus tamen Ioanni Furdono accedit, qui vigeſimo ſecundo regni anno diuturno morbo interiiſſe tradit.

XLIV. Congallus, è Dongardo Conſtantini fratre genitus, vigeſimo, ut Boëthius, vigeſimo ſecundo, ut Buchananus, regni anno obiit, pluribus pace quam bello geſtis.

XLIV. Conranus, vel Goranus, Congalli germanus, trigeſimo quinto regni ſui anno à ſuis cæſus eſt. Sub hoc Arctu-rus in Britannia floruit.

XLVI. Eugenius tertius, Congalli filius, regnum tenuit ſecundum Boëthium annos triginta quatuor, ſecundum Buchananum viginti tres.

XLVII. Congallus, ſive Convallus, Eugenii frater, religionis & juſtitię cultor decem annis regnavit.

XLVIII. Kynnatellus, Congalli frater, ſecundo regni ſui anno deceſſit.

XLIX. Ardanus, Conrani filius, à Columba inauguratus, cum Saxonibus & Anglis varia fortuna pugnavit, & 27

regni ſui anno, ut Boëthius, aut trigeſimo quarto, ut Buchananus, fato conceſſit, & Ronæ ſepelitur.

L. Kennethus, Congalli filius, nihil memoria dignum geſſit, quarto, vel, ut alii, duodecimo menſe, extinctus.

LI. Eugenius quartus, Ardani filius, decimo ſexto regni ſui anno obiit.

LII. Ferquardus, Eugenii filius, ob tyrannidem & contemtum religionis à proceribus in carcerem detruſus, decimo quarto regni anno ſibi mortem conſcivit.

LIII. Donaldus IV, Eugenii filius, decimo quinto regni ſui anno deceſſit, vel, ut Boëthius ſcribit, in Tao lacu ſubmerſus, præclara virtutum ſuarum memoria poſt ſe relicta.

LIV. Ferquhardus, Donaldi ex fratre Ferquhardo nepos, vir in omni ſcelerum genere inquinatiſſimus: vini æque ac pecuniæ inexplebilis, immani in homines crudelitate & in Deum impietate. In fine vitæ, monente Colmanno Epiſcopo, ad ſe reverſus, & pœnitens, obiit, poſtquam regnum octodecim annos tenuiſſet; anno Chriſti ſecundum Boëthium 684, ſecundum Buchananum 668.

LV. Malduinus, Donaldi filius, vigeſimo regni ſui anno ab uxore ob ſuſpicionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ſpicionem de pellice ſtrangulatus, quæ quarto poſt die viva cremata eſt.

LVI. Eugenius quintus, Malduini nepos ex fratre Dongardo, quarto regni anno obiit, poſtquam Egfridum Northumbriæ Regem cum exercitu deleviſſit, & Northumbriam ingenti clade afflixiſſet.

LVII. Eugenius ſextus, Ferquhardi filius, cum Pictis bellum varia fortuna geſſit, & decem annos regnavit.

LVIII. Ambirkelethus, Eugenii quinti filius, Boëthio; aut Findani filius, Eugenii nepos, Buchanano; libidine atque avaritia fœdus, contra Pictos proficiſcens incerto ſagittæ ictu in caſtris interiit, nondum biennio in regno expleto.

LIX. Eugenius VII, ſuperioris Regis frater, Eccleſiæ Chriſti cultor eximius; ut in cœnobiis res geſtæ Regum memoriæ mandarentur, inſtituit. Pace perpetua per ſeptemdecim annos cum vicinis omnibus continuata Abrenethi diem obiit.

LX. Mordacus, Ambirkelethi filius, ſucceſſit, omni vitâ pacificus, juſtus ac pietate devotus. ineunte decimoſexto regni anno deceſſit.

LXI. Etfinus, Eugenii ſeptimi filius, per annos triginta unum, quibus regno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

præfuit, in ſumma tranquillitate ſuos continuit.

LXII. Eugenius octavus, Mordaci filius, primo regni ſui anno optimum geſſit principem; inde in omnia flagitia præceps abiit,& cum nec amicorum nec ſacerdotum admonitionibus quicquam moveretur, poſt tertium regni ſui annum in cœtu procerum, omnibus in ejus exitium conſentientibus, confoſſus periit.

LXIII. Ferguſius tertius, Etfini filius, pari ſimulatione virtutis & vitiorũ fœditate uſus, pari prope fato defunctus; pari enim ſpatio, id eſt, triennio, regnũ tenuit. periit veneno ab uxore dato.

LXIV. Solvathius, Eugenii octavi filius, cum viginti annis cum ſumma laude præfuiſſet, moritur anno Chriſti 787, ſecundum Buchananum & Boëthium.

LXV. Achaius,Etfini filius; Is primus Scotorum principum cum Francis & Carolo Magno Romanorum tum Imperatore fœdus icit. Et felix omni vita, trigeſimo ſecundo regni ſui anno deceſſit.

LXVI. Congallus, Achaii ex Dongallo Etfini fratre patruelis, ſumma domi & foris concordia quinquennium regnavit.

LXVII. Don-

LXVII. Dongallus, Solvathii filius, dum bellum adverſus Pictos molitur, in ipſo apparatu ſubmerſa navicula, in tranſitu Sperę rapidiſſimi amnis extinctus eſt, poſtquam Scotorum regnum tenuiſſet annos ſex aut ſeptem.

LXVIII. Alpinus, Achaii filius, bellum adverſus Pictos urgens, & aliquot prælijs ſuperior, tandem quarto regni ſui anno cum multis ſuorum ab iiſdem captus & crudeliter cæſus.

LXIX. Kennethus, Alpini filius, Pictos frequentibus præliis obtritos pene delevit, ut nunquam regium nomen reſumere potuerint; leges ſanctiſſimas tulit, quibus poſteritas dudum uſa Macalpinanas vocabat: & ab Orcadum inſulis ad vallum Adriani imperium promovit. obiit regni ſui anno vigeſimo.

LXX. Donaldus quartus, Kennethi germanus, vir ignavus, & portentoſæ luxuriæ pariter & avariciæ; quicquid Scotorum agri erat ultra Fortham & Cludam amnes, amiſit. In carcerem à ſuis conjectus manum ſibi intulit ſexto quam regnum iniit anno.

LXXI. Conſtantinus, Kennethi filius, vir magni animi & virtutis eximiæ. Danos in Pictorum ſubſidium venien-

venientes ex improviſo aggreſſus primum cecidit, deinde caſtra eorum temere aggreſſus in agro Fiſano, magna exercitus parte amiſſa captus, & in ſpeluncam Modicam pertractus occiditur, quæ hodieque diaboli ſpecus appellatur. Regnavit annos ſecundum Boëthium XIII, ſecundum Buchananum XVI.

LXXII. Ethus fratri ſucceſſit, à pedum celeritate Alipes dictus, cujus ſegnitiem proceres minus ferendam rati, regnum ejerare coëgerunt ſecundo regni anno. In cuſtodia tertio die mœrore interiit.

LXXIII. Gregorius, Dongalli filius, homo animo plane regio, & cui nulla virtus deeſſet quæ virum principem deceret. Leges de immunitate miniſtrorum Eccleſiæ (qui ſub Pictis prope ſervorum loco fuerant) vel veteres revocavit, vel novas condidit. Quæ Donaldus quintus amiſerat, recuperavit: Northumbriamque, Cumbriam & VVeſtmariam Scotorum imperio adjecit; Hybernos valide contrivit. His rebus domi foriſque geſtis, duodeviceſimo regni anno deceſſit, non minus juſtitia & temperantia quam fortitudine clarus: unde merito apud ſuos Magni cognomentum eſt adeptus.

LXXIV. Do-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

LXXIV. Donaldus quintus, Conſtantini ſecundi filius, princeps laudabilis, undecimo regni ſui anno fato functus eſt, omnibus carus.

LXXV. Conſtantinus tertius, Ethi filius, decimo regni ſui anno cum Danis in Anglia fœdus ſolemne icit; & Milcolumbo Donaldi filio Cumbriam donavit. qui honor velut augurium & argumentum erat, proxime regnaturum. Ac deinceps, inquit Buchananus, in proximis aliquot Regibus obſervatur, manifeſta adverſus veterem comitiorum rationem fraude, quæ omnem liberorum ſuffragiorum vim prope tolleret, non minus à Coſſ. ac Cæſaribus deſignatio. Deinde cum poſt multos annos ex fœdere cum Danis contra Anglos exercitum miſiſſet, isque ab Anglis pene ad internecionem cæſus eſſet, ejurato ſponte magiſtratu, ad Culdeos, id eſt, Dei cultores, (ita ea ætas monachos vocabat,) ſe velut in portum recepit, & reliquos vitæ annos quinque inter eos ad Fanum S. Andreæ tranſegit. Deceſſit anno à regno inito quadrageſimo. Anno Chriſti 943.

LXXVI. Malcolmus Boëthio, Milcolumbus Buchanano, Donaldi filius, fœdus cum Anglis iniit, & ab iis Cumbriam & VVeſtmeriam in feudum accepit.

cepit. decimo quinto regni anno dum acrius latrocinia punit, & luxuria diffluentes juniorum mores coërcet, in Moravia noctu à conjuratis eſt extinctus.

LXXVII. Indulfus, Conſtantini tertii filius, à Danis bello petitus, haud procul à Cullane, in Boina regione, ab iis cæſus eſt, cum novem annos & tres menſes regnaſſet.

LXXVIII. Duffus, Malcolmi filius, Foreſtæ inſidiis, Donaldi arcis præfecti, jugulatus, poſtquam quatuor annos & ſex menſes regnaſſet.

LXXIX. Culenus, Indulfi filius, omni flagitiorum & libidinum genere infamis, à Rohardo ſive Cadhardo, in vico Methuano, ob ſtuprum filiæ illatum, eſt occiſus; poſtquam quatuor annos & ſex menſes regnaſſet.

LXXX. Kennethus, Duffi frater; Danos ad Loncarten inſigni clade ſuperavit; novam legem, ut Regi defuncto maximus natu filius ſuccederet, &, filio ante Patrem defuncto, nepos avo ſubrogaretur, à nobilitate obtinuit, cum ante occulto ſcelere Milcolumbum Cumbriæ præfectum veneno ſuſtuliſſet, ut Buchananus narrat. tandem à Fenella Fethercarniæ arcis in

Mernia

Mernia domina per dolum cæſus eſt anno regni vigeſimo quinto.

LXXXI. Conſtantinus quartus, Culeni filius, cognomento Calvus, poſt annum & ſex menſes quam regnum invaſerat, à Kennetho cæſus. Boëthius tertio regni anno occiſum tradit.

LXXXII. Grimus, Duffi filius, aut, ut aliis placet, nepos, ex optimo principe, quem primis annis egit, in flagitioſiſſimum mutatus, à Malcolmo, ſive Milcolumbo, prælio ſuperatus, captus, & oculis privatus, interiit decimo Regni ſui anno.

LXXXIII. Malcolmus, ſive Milcolumbus ſecundus, Kennethi filius, legem regiam confirmatam obtinuit. Danos, à quibus in Moravia victus erat, mox viribus reſtauratis in Marria ſuperavit. Omnes agros regios Nobilitati diviſit. Nobilitas contra Regi conceſſit, ut, cum eorum aliquis moreretur, liberi ad viceſimum primum ætatis annum in tutela Regia eſſent; Rexque proventus omnes, præterquam qui in educationem liberorum impenderetur, acciperet. Præterea ut puberum collocandorum poteſtas penes illum eſſet, ad eumque dos rediret. Nova magiſtratuum nomina inſtituit. Bellis perfunctus aliquot annos magna cum

gloria

gloria regnavit: ſed in ætatis decurſu in avaritiam & ſævitiam delapſus, Nobilium odium incurrit, & ab iis interemtus eſt, poſtquam annos triginta regnaſſet.

LXXXIV. Duncanus, Malcolmi nepos ex filia Beatrice; vir ſumma humanitate & æquitate in jure dicundo. Danos magna clade ad Bertham concidit. A Macbetho ad Ennerneſſum ex inſidiis cæſus, cum ſex annos regnaſſet.

LXXXV. Macbethus, Malcolmi nepos ex filia Doada, per tyrannidem regnum invaſit. Initio quidem regni, multa bona reipublicæ fecit, quæ omnia poſtea flagitiis dehoneſtavit. itaque, cum ſeptemdecim annis regnaſſet, à Milcolumbo Duncani filio, qui apud Anglos exulaverat, regno eſt dejectus.

LXXXVI. Malcolmus, ſive Milcolumbus tertius, anno Chriſti 1057, ſecundum Buchananum, rex factus. Margaritam Eduardi Angliæ hæredis in conjugem accepit, ex qua ſanctam & numeroſam prolem ſuſcepit. Præter alias leges ab ipſo ſalubriter latas, uxoris etiam precibus dediſſe fertur, ut primam novæ nuptæ noctem, quę proceribus per gradus quoſdam lege Regis Eugenii debebatur, ſponſus dimidiata argenti

argenti marca redimere poſſet: quam penſionem adhuc marchetas mulierum vocant. Bello deinde inter ipſum & Guilielmum Rufum orto, ad Annevici in Northumbria arcem, dum eam obſideret, Angli equitis inſidiis cæſus una cum Eduardo filio: poſtquam regnum triginta ſex annos tenuiſſet.

LXXXVII. Donaldus Banus, id eſt, albus, Malcolmi frater, pulſis nepotibus, regnum tyrannice invaſit; ſed multis exoſus, Duncano Malcolmi notho in Scotiam accerſito, rebus ſuis diffidens, poſt ſextum quam regnum invaſerat menſem, in Aebudas profugit.

LXXXVIII. Duncanus regno potitus, cum imperioſius ageret, à Dunaldo in Taſchia noctu eſt obtruncatus, poſtquam annum & ſex menſes regnaſſet.

LXXXIX. Edgarus quartus, Malcolmi filius, in regnum accerſitus, Donaldo vel Duncano in vinculis mortuo, in ſumma pace novem annos regnavit & ſex menſes, & ſeptimo regni anno ſine liberis diſceſſit.

XC. Alexander, Edgari frater, cognomento Fers, id eſt, Fortis, cum ſeptemdecim annos rei Scoticæ præfuiſſet, deceſſit, nullis è Sybilla Gulielmi Normanni filia liberis relictis.

XCI. David, Alexandri Germanus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ſucceſſit anno Chriſti 1124. Voldioſi Northumbriæ Comitis filiam Mathildem in uxorem accepit: qua immatura morte ſublata, bellum inter Stephanum Angliæ regem atque ipſum exarſit; & pax rurſus facta anno 1139. deceſſit ann. 1153, poſtquam annos viginti novem & duos menſes regnaſſet.

XCII. Malcolmus quartus, Davidis ex Henrico filio nepos, externo bello liber, inteſtinis ſeditionibus ſuorumque rebellione exagitatus eſt. quib⁹ oppreſſis, duodecimo regni ſui anno deceſſit, anno 1156 Buchanano, 1160 Boëthio.

XCIII. VVilhelmus, Malcolmi frater, Northumbriam ab Anglo armis repetiit. à quo nono regni ſui anno ex inſidiis captus, Regnum Scotiæ in fidem & clientelam Regis Angliæ proceribus conſentientibus dedit; ut Angli ſcriptores tradunt: ſed alii tradunt, conventum inter Reges, non de deditione, ſed de certa pecunia per penſiones danda; arceſque tantiſper Anglo traditas, dum ea perſolveretur. Richardus autem Rex Angliæ, in Syriam profecturus, pactiones omnes remiſit, & à VVilhelmo decem mille marcas argenti dono accepit. Denique multis præclare geſtis, ſeptuageſimum quartum vitæ annum agens, regni qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

quadrageſimum nonum, deceſſit, anno 1214.

XCIV. Alexander ſecundus, VVilhelmi filius, adverſus Ioannem Anglorum Regem bellum movit, & in Angliam penetravit. Ioannam Henrici Angl. Regis ſororem in uxorem accepit. Deceſſit anno ætatis 51, regni 35, ſalutis humanæ 1249.

XCV. Alexander tertius, ſuperioris filius, Margaritam Henrici filiam in uxorem accepit; Norvvegos, qui Scotiam invaſerant, magna clade perculit. Dein uxore & liberis orbatus, Iole-tam filiam Comitis Druidum uxorem ſumſit, & intra annum vertentem ipſe ab equo lapſo excuſſus fractis cervicibus interiit, anno Chriſti 1285. vixit annos 45; regnavit 37. Alexandro cum tota ſtirpe præter unam neptem ex filia extincto, interreges creati; neptis Eduardo Anglo deſponſata, antequã è Norvvegia accerſeretur, defuncta. Interregnum per varias diſſenſiones ſex annos & novem menſes duravit.

XCVI. Ioannes Balliolus, ſe Anglorum Regi ſubditum fore profeſſus, ab Eduardo in Regem Scotiæ promotus: & in novo Caſtro ad Tinam in verba Angliæ Regis juravit. Moleſtiſſime id à Scotis acceptum: itaque reſciſſum à

Scotis acceptum: itaque reſciſſum à Scotis. Anglus Scotiam invaſit, multa oppida & arces cepit, & Regem ad deditionem compulit. Eduardus Anglus decem annis Scotos multis incommodis afflixit. Boëthius.

XCVII. Robertus Bruſſius anno 1306 Rex factus; poſt multas quas paſſus eſt bellis cum Anglis varia fortuna geſtis calamitates, hoſtibus tandem devictis pulſiſque, patrium regnum egregie reſtituit. Deceſſit anno 1329, regni vigeſimo quarto.

XCVIII. David, Roberti filius, poſt regnum per Thomam Ranulphum interregem biennium circiter adminiſtratum, regnare cœpit; ſed ab Eduardo Balliolo Anglorum copiis ſuffulto ſuperatus in Galliam profugit. Balliolus regno potitus (quem Boëthius è Regum ſerie & numero excludit; Buchananus XCIX regem agnoſcit) ab Andrea Moravio prorege profligatus anno 1332, eundem paulo poſt cepit. Bellum deinde mutuis cladibus exercitum; David in Scotiam reductus, &, cum Francorum partes adverſus Anglos tueretur, ab iis ad Dunelmum profligato exercitu eſt captus; undecimoq; poſtquam captus erat anno dimiſſus. In arce Edimburgenſi diſceſſit anno

vitæ

vitæ quadrageſimo ſeptimo, regni trigeſimo nono, ſalutis humanæ 1370.

XCIX. Robertus ſecundus in avunculi locum ſucceſſit, primus è Stuartorum familia; nullo Regum felicitate inferior; quod toto regni ejus tempore vix umquam adverſa fortuna pugnatum eſt, ut ait Boëthius; Buchananus tamen nonnullas clades acceptas memorat. In arce ſua, quam vocant Dunum Donaldi, deceſſit, an. 1390. vixit annos 74, regnavit 19.

C. Ioannes Roberti II filius, & CI Rex ſecundum Buchananum, Roberti III nomen aſſumſit, ob inauſpicatum Ioannis nomen, propter captivitatem Ioannis Franciæ Regis, ut tradit Boëthius & Buchananus. Bello cum Anglis vigente, clades ad Homeldonum Northumbriæ vicum accepta, anno 1401. David filius illius, fraude & crudelitate patrui Roberti fame enectus. Iacobus minor filius, dum in Galliam navigat, in Angliam tempeſtate compellitur, & capitur. Rex pater eo nuncio accepto ex ægritudine animi obiit, anno ab inito regno decimo ſexto, 1406. Interea rex creatus Robertus defuncti frater; clades primo ab Anglis accepta; deinde annis fere decem nihil memorabile geſtum. Roberto defuncto

ſucceſſit Mordacus filius, ingenio ſegnis & regno inidoneus.

CI. Iacobus Roberti III filius, ex Anglia redux regnum iniit anno 1423; Rex optimus; anno decimo tertio regni ſui, Valtheri Atholii patrui ſui inſtinctu, à Roberto Gramo indigne occiſus, anno Domini 1437.

CII. Iacobus ſecundus, filius ſeptennis, ſuffectus. Factionib⁹ aliquot annos laboratum; quibus oppreſſis & regno pacato, cum in Angliam Eboracenſibus ſubſidio profectus eſſet, & Rosburgenſem arcem oppugnaret, una è machinis violentia ignis interne furentis, excuſſo cuneo ligneo, cæteris illæſis, Regem in terram dejectum ſtatim exanimavit. Anno 1460, regni 23, ætatis 29.

CIII. Iacobus tertius, ſeptennis patri ſuffectus; Arx Roſburgenſis capta & ſolo æquata. Matre & proceribus de Regni adminiſtratione contendentibus, multa incommoda acciderunt: proceresque in factiones diviſi: Rex jam Major Margaritam Daniæ Regis filiam in uxorem accepit an. 1470. Aulicis autem ipſius miniſtris à procerib⁹ ipſo invito ſtrangulatis, iram aliquandiu texit, dein à nobilitate ſe ſubduxit: Angli interim Scotiam ingreſſi omnia late vaſtarunt; ſed induciæ mox cum Henrico VII factæ.

factæ. Pacem foris, graviſſimæ factiones domi exceperunt, pleriſque proceribus in Regem conjurantibus, à quibus ſub arce Sterlinenſi cæſus eſt anno 1488, Regni 28, vitæ 35.

CIV. Buchanano CV, Iacobus quartus, ſuperioris filius, quindecim annorum adoleſcens, regnum adiit, concordiamque reſtauravit Seminarium belli inter Scotos & Anglos fuit Petrus Varbecus, qui ſe Eboracenſem principem fingebat: quod fraude ſuboleſcente compoſitum. Margaritam Henrici VII filiam in uxorem accepit. Henrico autem VIII rerum potiente, ſuſcepto in Anglos bello Francorum cauſa, ut Anglum è Gallia revocaret, in Northumbriam ingreſſus, magno cum nobilium numero ad Floddum vicum ab Anglis cæſus eſt, vigeſimo quinto regni ſui anno, Chriſti 1513.

CV. Buchanano CVI, Iacobus quintus, biennis patri ſuccedit: Ioannes Dux Albinus prorex creatus. Rex dein, Magdalenam Franciſci primi Gallorum regis filiam, & illa mortua, Mariam Guiſianam in uxorem accepit. Mortuus apud Falcland, an. 1542, relicta filia Maria hærede, ante diem V nata.

CVI. Maria, primum Franciſco ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

cundo Gallorum Regi nupta; deinde Henrico Stuarto Matthæi Stuarti Comitis Leviniæ filio: factionibus multis domi plurimiſque miſeriis per omnem vitam exagitata, poſt longam in Anglia captivitatem ibidem capitali ſupplicio eſt affecta.

CVII. Iacobus ſextus Anglorum regnum Elizabetha defuncta hæreditate adiit.

VIII.

DE FOEDERE SCOTORVM cum Francis, & officiis militaribus quæ in Francia exercuerunt.

SCOTIAE Regno cum Francorum Rege fœdus valde antiquum eſt; quippe ſub Carolo Magno primo initum anno Domini 791. cujus ratione, ſi Francis credimus, inſignibus regni Scotiæ lilia ad oram clypei addita.

De quo fœdere ita Buchananus: Ab Achaio primo inter Scotos & Francos inita amicitia eſt hac maxime de cauſa, quod non modo Saxones Germaniæ cultores, ſed qui in Britannia quoque ceperant ſedes, Gallias piraticis incurſionibus infeſtabāt. Deinde etiam

à Carolo

à Carolo Magno, qui Galliam non minus literis quam armis illuſtrare cupiebat, accerſiti è Scotia qui philoſophiam Lutetiæ græce & latine docerent. Apud Scotos enim adhuc multi erant Monachi, vetere diſciplina nondum extincta, literis & pietate inſignes. Quo è numero erat Ioannes cognomento Scotus, ſive Albinus, &c. Ex hoc fœdere ab Achaio quatuor millia Scotorum Carolo Magno ſubſidio miſſa volunt, quibus in omnibus bellis ſuis uſus ſit. Malcolmio tertio, Hugoni, Philippi Francorum regis germano, duo millia, ad iter Hieroſolymitanum cum ipſo capeſſendũ. Ab Alexandro II, Sancto Ludovico expeditionem in Terram Sanctam paranti, tria millia, duce Patricio Dumbario Comite Marchæ. Ab Alexãdro III, eidem Sancto Ludovico, duo millia, ducibus Carictæ & Atholiæ Comitibus. Fœdus deinde interruptum à Ioanne Balliolo, qui Regnum Scotorũ ope Anglorum adierat, à Davide Bruſſio renovatum eſt, cautumque ut neutra gens ſine altera pacem aut inducias cum Anglo faceret. Ab illo tria millia Scotorum Ioanni Francorum ſubſidio miſſa, duce Gulielmo Duglaſſio; quorũ pars magna in memorabili illa Francorum in Pictonibus clade cæſa. Viciſſim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

& Scotis à Francis auxilia ſubmiſſa regnante Roberto; ſed cum Gallorum in bello vivendi conſuetudinem ferre non poſſent, retento duce, donec damna illata reſarcirentur, remiſſa fuerunt. Rurſus à Roberto Stuarto, Regis Iacobi avunculo, & Regni Scotiæ gubernatore, Carolo Franciæ Principi ſive Delphino ſeptem virorum millia ſubſidio miſſa, Duce Ioanne Buchaniæ Comite; quem Archebaldus Duglaſſius Victoniæ Comes comitabatur. A quibus nobilis victoria de Anglis ad Bungium vicum parta, in qua Dux Clarentiæ cecidit. Buchananus commemorat, Comitem Buchaniæ ob rem bene geſtam à Carolo Delphino Magiſtrum equitum ſeu Comitem Stabuli creatum, aliosque aliis honoribus ornatos. Deinde à Mardaco, qui patri in Gubernationem ſucceſſerat, idem Buchaniæ comes, & ſocer ejus Archibaldus, cum Iacobo filio, & magna juventutis nobiliſſimæ manu, remiſſi; (Galli decem mille fuiſſe ſcribunt:) quorum magna pars primo prope Vernolum, deinde iterum in Belgia, dum Aureliam tendunt, ab Anglis cæſa. Plura in eundem modum à Regibus Scotorum ſubſidia in Galliam miſſa, quæ utiliſſimá operam Regibus Francorum, Ludovico XI, Carolo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Carolo VIII, Ludovico XII, Franciſco I, & Henrico II, navarunt. Multa quoque gravia domi & in Anglia Scoti, dum Francorum amicitiam pertinacius colunt, paſſi ſunt, arma Anglorum in ſe avertendo: hac enim occaſione David Bruſſius Scotiæ Rex vulneratus ab Anglis in agro Dunelmenſi & captus; & ſupra decem millia Scotorum in prælio deſiderata. Iacobus quartus in pugna ad Fluidonem cum maxima parte nobilitatis & quatuordecim Scotorum millibus occiſus. Filius illius Iacobus quintus, avunculo ſuo Henrico octavo Anglorũ Regi bellum inferens pro ſocero ſuo Franciſco primo Francorum rege, tantum animo mœrorem ex rebus ab Oliverio de Sancto Claro male geſtis concepit, ut in flore ætatis paucos poſt dies defecerit. Filia auté & hæres illius Maria, per Ordines Scotiæ Eduardo ſexto in conjugem promiſſa, nihilo tamen minus in Franciam miſſa atque enupta. quæ res Anglos in eum modum irritavit, ut dux Somerſettenſis Scotiam intraret, vaſtaretque, & quindecim millia Scotorum cæderet.

Crebra porro connubia inter Scotos atque Francos fuerunt. Ludovicus quippe Vndecimus, Delphinus adhuc, Margaritam Iacobi primi filiam duxit: in

in quo tẽpore magna commixtio ſanguinis inter utramque nationem facta. nam ſupra centum quadraginta qua matronas qua virgines Scoticas in Gallia emptas ferunt; inter quas duæ Delphini ſorores fuerunt, quarum una Duci Britannię, altera Comiti Flandriæ nupſit. Alexander Albiniæ Dux, frater Iacobi tertii Scotiæ Regis, duxit in matrimonium Comitiſſam Boloniæ; & in Equeſtri cum Duce Aurelianenſi ludicro certamine, fortuito vulneratus, paulo poſt obiit: è quo Iacobus Dux Albiniæ Comes Boloniæ natus; qui, Iacobo quinto minore, Regnum Scotiæ adminiſtravit. Iacobus quintus primo Franciſci I filiam; deinde ſecundis nuptiis Guiſiam duxit. Filia illius, Maria, Franciſco II elocata.

Reges Franciæ, tot tantiſque Scotorum auxiliis & officiis permotis eiſdem multos honores multaq; privilegia decreverunt. Carolus VII Comitem Buchaniæ, Comitem Stabuli fecit. Deinde & Duglaſſium, Ducem Turonenſem & magiſtrum Equitum creavit; qui Ducatus, ipſius filio atque nepoti ceſſit regnante Carolo VIII & Ludovico XI. Ioannes Stuartus, Comes Drocenſis factus: Robertus Stuartus, Dominus Aubinæi, magiſter equitum. David de
Pitulo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

pitulo, dux Stipatorum regiorum à Ludovico XI creatus, & ab eodem poſt mortẽ ſtatua in atrio palatii Regii decoratus. Bernardus Stuartus, dominus Aubinæi, magiſter Equitum fuit ſub Ludovico XI, prorex Neapolitanus ſub Carolo VIII; frater illius, Gubernator Mediolani ſub Ludovico XII; ipſe denique Legatus generalis copiarum omnium Regis Franciæ in Italia; itemque exercitus quem Rex Franciæ Henrico VII Anglorum Regi in Angliam ſubſidio miſit adverſus Richardum III. Filius illius Robertus, Dux Stipatorũ regiorum & Equitum Magiſter ſub Franciſco I. Ioannes Hamiltonius, Comes Araniæ, & Scotiæ gubernator, Maria Regina adhuc minorenni, dux creatus in Francia Caſtelli Eraldi, & filius illius major natu cohortis Scoticæ in Francia. Sanctus Ludovicus jam olim, cum expeditionem in orientem ſuſciperet, viginti quatuor Scotos cuſtodiæ corporis ſui noctu atque interdiu admoverat: quod inſtitutum ad annos centum quadraginta viguit, ſub octo fere Franciæ Regibus. Carolus autem quintus ſeptuaginta ſex inſuper ſtipatores aſſcivit è Scotorum gente, dignitate prædicta viginti illis quatuor ſalva relicta: Quorum duo non modo ad

miſſam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

miſſam, ſed & ad menſam, Regis Franciæ ſellæ aſſiſterent, utrinque ſinguli: ſex autem in majoribus feſtis, ceremoniiſque quibus Reges attactu morbos ſuorum curant, cumque aut Legatos principum ſuſcipiunt, aut oppida ſolemniter ingrediuntur, tres utrimque corpus Regis clauderent. Idem inſtituit ut corpus Regis Franciæ ab iiſdem portaretur quocunque ceremoniæ poſcerent: utque iidem effigiem Regis comitarentur. Denique cohors Scotorum ſola cuſtodiam Regii corporis obtinuit ſupra annos ſeptuaginta: nam Carolus ſeptimus, primus Franciæ Regũ Francorum unam cohortem corpori ſuo cuſtodiendo admovit; cui mox Ludovicus XI addidit alteram, & Franciſcus I tertiam. prærogativæ nihilo tamen minus Scotis illis manſere, indices antiquiſſimi illorum privilegii. quales ſunt: cuſtodia clavium palatii regalis veſpere; cuſtodia chori Eccleſiæ; cuſtodia navigiorum cum Rex fluvios trajicit; honor portandi fimbrias è ſerico albo ad oras armorum ſuorum, qui color eſt Colonellorum in Francia; capitaneo illorum tam in exercitu quam extra tradi oppidorum omnium, quæ Rex ingreditur, claves; privilegium etiam, extra exercitum, puta in Regis inaugu-

auguratione, nuptiis & funeribus Regum, baptiſmo & nuptiis liberorum Regis, ſtandi in procinctu & ordine bellico, veſtis inauguralis, illi cedit; denique hæc cohors morte aut mutatione capitanei ſecus quam reliquæ numquam ordine ſuo demovetur. Carolus autem ſeptimus, qui primus cataphractorum militum ordines in Francia inſtituit, è reliquiis Scotorum ad Vernolium cæſorum, cohortem Scoticam inſtituit centum cataphractorum & ducentorum ſagittariorum, illiſque primum locum inter cataphractorum cohortes conceſſit, Roberto Stuarto Domino Aubinæi illis Tribuno conſtituto, cui dein filius illius Bernardus ſucceſſit, & huic Robertus filius; Roberto autem cognatus & hæres Ioannes Stuartus; poſt quem Iacobus Hamiltonius Comes Araniæ eidem cohorti præfuit ; & mox Ludovicus Stuartus, dux Leviniæ, nepos Ioannis prædicti, ſed Legati nomine, cum Tribuni dignitas penes Carolum Eboraci Ducem eſſet; qui nunc Britanniæ regnum feliciter obtinet. Hæc uti à Gallis accepimus, ita referimus. Plurimæ quoque equitum turmæ è Scotis in Francia à diverſis Regibus auctoratæ; ſed non ita perennarunt, uti duæ illæ

cohortes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

cohortes de quibus jam ante diximus. Verum & harum quoque privilegiis multum detritum.nam poſtquam Comes Mongommerius,qui ultimus Scotorum , alteri illi cohorti cuſtodum corporis regii præfuit, Henrici II morte dignitate illa excidiſſet , capitanei Franci illi præponi cæperunt ; qui ſenſim non Scotos ſed Francos huic cohorti aſſcribentes , effecerunt , ut jam duæ tertiæ partes (loquor cum authore qui ſuperioribus annis ſcripſit)Francorum ſint; qui & præcipuæ dignationis atque authoritatis munia ad ſe traduxerunt: nulla ſpe in poſterum Scotis relicta, priſcum militiæ ordinem & dignitatem recuperandi.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

RESPVBLICA,

SIVE

STATVS HIBERNIÆ.

K

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

CONTENTA
hujus libelli.

I. *Hiberniæ deſcriptio , limites, magnitudo , cœli ſolique qualitates, incolæ, diviſio.* Ex Camdeno & Speedo.

II. *De Hibernorum priſcis recentibuſque moribus ac inſtitutis.* Ex Camdeno, & aliis.

III. *Hiberniæ Regni adminiſtratio.* Ex Camdeno.

IV. *De Hiberniæ reditibus & commerciis.* Ex variis Scriptoribus collecta.

V. *De O-Nealis, & eorum rebellionibus.* Ex Camdeno.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

I.

HIBERNIÆ DESCRIPTIO, limites, magnitudo, cœli ſoliqué qualitates, incolæ, diviſio. *Ex Camdeno & Speedo.*

IN mari, quod Britannis Mor vveridh, Hibernis Farigi, Latinis Vergivium dicitur, Britanniæ latus occiduum claudit celeberrima inſula HIBERNIA. Incolis Erin, Britannis Yverdon, & Anglis Ireland dicta. Protenditur hæc inſula ab auſtro in aquilonem, non latior quam longior, ut Strabo prodidit, ſed forma lenticulari ſive ovali; nec viginti dierum navigatione, ut Philemon apud Ptolomæum tradidit; ſed ſecundum recentiores longitudine ccc tantum millia paſſuum, latitudine vix cxx implet. Ab ortu Angliam turbido mari disjunctam habet, quod Hibernicum vocant; ab occaſu immenſo oceano occidentali; à ſeptentrione Deucaledonio; ab auſtro Vergivio alluitur. Magnitudine & circuitu olim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

inter omnes orbis terrarum tum cogniti inſulas tertium ſibi locum hæc inſula vindicavit; ſic enim de inſulis antiqui Geographi nobis prodiderunt. Cælũ hac in inſula amœnitate & ſalubritate laudabile eſt; quamvis nõ æque ac in Anglia purus ac ſubtilis ſit aër, & ad maturanda ſemina ſive fruges, ut ait Mela, iniquior. Solo autem ita gratus & amicus aër eſt, ut herba ſive gramine non virenti modo & læto ſed perdulci etiam omni pecorum generi luxuriet. Hyberno autem tempore ventis idem magis quam nivibus obnoxius eſt. Et, ut Gyraldi verbis utar, *Terra eſt terrarum temperatiſſima, nec Cancri calor exæſtuans compellit ad umbras, nec ad focos Capricorni rigor invitat: aëris amœnitate temperieque inter tolerabile frigus & mitem calorẽ tempora fere cuncta miteſcunt. Regio ſive terra* (ut Cambrenſem audias) *inæqualis eſt, montuoſa, ſilveſtris & ſylvoſa, aquoſa & mollis, adeoque paludoſa & lacuſtris, ut ſupra montes editiores aquas ſtagnare videas.* Ex hoc tam ſoli quam cæli humore nimio omnibus in locis advenæ primo adventu periclitantur, ventris profluvio, dyſenteriis & catarrhis obnoxii: ad quæ tamẽ ſiſtenda ſalubrem quandam aquam vitæ habent, (uskebach vocãt,) quæ

quæ exſiccat magis, minuſque inflammat, quam multæ aliæ confectiones calidæ & aromaticæ. Pecorum infinita multitudo, utiq; quæ primæ & præcipuæ incolarum opes; ovium etiam greges plurimi; quas quotannis bis tondent; & è rudi lana lænas & villoſa ſaga & ſtragula conficiunt, quæ ad exteras gentes deferuntur. Equi item optimi, (hobyes vocantur,) quibus non idem qui cæteris in curſu gradus, ſed mollis alterno crurum explicatu glomeratio. Accipitres etiam ſunt non illaudati; ſed hæc ut cætera animalia omnia (præter homines & canes illos venaticos quos greyhounds Angli vocant) minora ſunt quam in Anglia. Apum tanta multitudo, ut non ſolum in alveariis, ſed etiam in arborum truncis & terræ cavernis reperiantur. Vites etiam habet, ſed umbræ magis quam fructus gratia. Solem namque è Leone egreſſum frigidiuſculæ auræ in hoc noſtro climate excipiunt, & pomeridiani in autumno calores dilutiores ſunt & breviores hic & in Britannia quam ut perfectam uvis maturitatem afferre poſſint. Præterea nullus hic anguis nec venenatum quicquam; lupis tamen ubique infeſtatur: utque uno verbo dicam, ſive terræ fœcunditatem ſive maris & portuum op-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

portunitatem, ſive incolas reſpicias, qui bellicoſi ſunt, ingenioſi, corporum lineamentis conſpicui, mirifica carnis mollitie, &, propter muſculorum teneritudinem, agilitate incredibili, à multis dotibus ita fælix eſt inſula, ut non male dixerit Gyraldus, *Naturam hoc Zephyri regnum benigniori oculo reſpexiſſe.* Quod vero male nonnunquam audit, ab incolis eſt, qui alicubi ſunt incultiores, qui mira naturæ diverſitate & inertiam amant, & quietē oderunt, quique in præproperam venerem ſunt effuſiores. Virgines enim inter agreſtiores illos cum decimum vel duodecimū ætatis annum attigerint, viris quaſi maturas tradunt, nec ullo modo annorum maturitatem, quæ aliis regionibus obſervatur, præſtolari volunt. Certe, ut hanc inſulam antiquitus habitatam fuiſſe, cum per univerſum orbem genus humanū proſeminaretur, non dubitaverim; ita ex Britannia primos incolas commigraſſè, in aperto eſt. Nam, ut taceam infinitam vim Britannicarum dictionum in lingua Hibernica, antiqua nomina, quæ Britannicam ſapiunt originem, ingenia, cultuſque hominum, (ut inquit Tacitus,) non multum à Britannia differentia; ab antiquis omnibus inſula Britannica

dicitur,

dicitur. Diodorus Siculus Irin Britanniæ partem dixit: atque Ptolomæus Britanniam parvam; Strabonisque epitome incolas diſerte Britannos, & vetus geographus Britannorum inſulam vocat. Nec alia eſt regio, è qua ratione vicinitatis commodius in Hiberniam demigràri potuit, quam è Britannia noſtra, è qua pari ſpatio tranſmiſſus eſt atque è Gallia in Britanniam. Poſtea vero cum ſuum Romani imperium undiq; propagaſſent, multi procul dubio ex Hiſpania, Gallia & Britannia huc ſe receperunt, ut iniquiſſimo Romanorum jugo colla ſubducerent. Suffragatur recepta Hibernicorum opinio, qui ſe Hiſpanorum ſobolem lubentiſſime agnoſcunt. Hiberniam Hiſpanis umquam paruiſſe ambigitur. Quanquam enim & Agricola id optaverit, & Tacitus maxime neceſſarium cenſuerit; atque in Romani imperii partitione Hibernia cum Britannia & Thule Conſtantino magni Conſtantini filio ſortito obvenerit: tamen mores eorum incompoſiti & barbaries, longe ab illis temporibus adhuc vigens, ſatis teſtantur, nullam etiamdum humanitatem in hoc arvo ſatam fuiſſe. Cum vero magnum illud imperium decreſcere cœpiſſet, Scoti ſive Scythæ in Hybernia

invaluere, &, ut Oroſius ſcribit, Arcadio & Honorio imperantibus hanc inſulam gens Scotorum totam occupavit tenuitque. Hinc etiam ſuas in Britanniam irruptiones fecerunt Scoti, & in hanc magnis ſubinde cladibus repulſi. Haud multis poſt annis hi Scoti in Hibernia Chriſto nomen dederunt, Palladiumque Epiſcopum ad eos miſit Cœleſtinus Pontifex Romanus. Vnde contra Collatorem Proſper Aquitanus: Cœleſtinus Pelagiano morbo Britannias liberavit. quando quoſdam inimicos gratiæ, ſolum ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreto ſecluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſervare Catholicam, fecit etiam Barbaram Chriſtianam. Palladium tamen morte in Britannia præreptum nihil præſtitiſſe, author eſt Nennius, qui ex Hibernicis ſcriptoribus Chriſtianam religionem à Patricio per Hiberniam diſſeminatam ſcribit. Hic enim natione Britannus, in Cluyſdalia natus, & Martino Turonenſi affinitate conjunctus, & S. Germani diſcipulus, Palladio defuncto à Cœleſtino ſubrogatus, tanto ſucceſſu Chriſtianam religionem per Hiberniam propagavit; ut longe maximam inſulæ partem ad

Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Chriſtum converterit, & Hibernorum Apoſtoli nomen meruerit.

Hibernia ex incolarum moribus in duas dividitur partes. qui enim legibus teneri recuſant & incultius vivunt, Irishrie, & vulgo VVilde Irish, id eſt, ſylveſtres Hibernici, vocantur : qui vero cultiores legum poteſtatem ſanctam habent, & judiciis ſe ſiſtunt, Anglo-Hibernici dicuntur, & eorum regio The Engliſch Pale, quoniam primi qui advenerunt Angli quoſdam ſibi limites in orientali & fœcundiſſima inſulæ parte circumſcripſerunt ; intra quos & hodie ſunt qui incultius vivunt, minuſque legibus parent; ut extra alii, in quibus nihil ad humanitatis cultum deſideres. Ex ſitu vero ſeu potius Rectorum quondam numero quinque continet portiones, (Pentarchia enim olim erat:) Momoniam videlicet ad auſtrum, Lageniam ad ortum, Connachthiam ad occaſum, Vltoniam ad ſeptentriones, & Midiam in ipſo fere medio.

Momonia, Anglice *Mounſter*.

Hæc Provincia Hibernice Movvn, & in uſitatiore orationis contextu VVovvn, Latine Momonia, Anglice Mounſter, Vergivio mari ad auſtrum

expoſita jacet: ad ſeptentriones Connachthiæ parti prætenditur: ab ortu finitimam ſibi habet Lageniam: ab occaſu tota oceano occidentali alluitur. In longitudine à ſinu Ballatimore auſtrali limite, ad Galvvay ſinum borealem, nonaginta quaſi milliaria colligit. Qua vero latiſſime ab ortu ad occaſum ſe expandit, ſcilicet à VVaterfordiæ portu ad Feriteri portum, c M. paſſuum continet. Totius circumferentia ſecundum promontoria ſinuſque & receſſus ducta, quingenta plus minus & quadraginta paſſuum millia occupat. Forma ipſius quadrata ſive quadrangularis eſt. Cœlum mite ac temperatum, nec nimiis frigoribus gelidum, nec retorrido ardore plus juſto calidum. Solum alicubi in montes aſſurgit, ſylveſtribus collibus aviis & ſolitariis caput exerens; ſubjectæ vero valles campis arviſque frugiferis diſtinguuntur; &, ut verbo dicam, regio univerſa & aſpectu amæna & ſolo fertilis. Provincia hæc omnis hodie in duas partes dividitur: in Momoniam occidentalem, & Momoniam auſtralem: continetque ſeptem comitatus, Kerry, Deſmoniam, Corcagienſem, Limiricenſem, Tiparrarienſem, S. Crucis, & VVaterfordienſem.

Com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Commoditates hujus Provinciæ in genere ſunt, Frumentum, Ligna, Lana, Piſces. Horum vero cujuſque generis ingens ubique copia eſt. Nullus autem locus halecum abundantia & captura adeo celebris eſt ac Erangh promontorium, quod inter Bantre & Ballatimore ſinum projectum jacet: quo numeroſa quotannis Hiſpanorum & Luſitanorum claſſis, ipſo brumali ſolſtitio, ad piſcandos etiam aſellos, confluit. Gubernatur hæc Provincia à Domino Præſide, (cum uno aſſeſſore, duobus juriſconſultis, Legum peritis, & ſcriba,) qui eſſet vindex temeritatis, & moderator officii, ne forte à fide & obſequio diſcederet.

Kerry Comitatus juxta Sinei oſtium in mare ut lingula procurrit, fluctibus utrimque allatrantibus; regio aviis & ſylveſtribus montibus ædita, quibus crebræ interſunt valles cavæ, alibi arvis diſtinctæ, alibi etiam nemoribus condenſæ. Comitatus hic habetur Palatinus, Comitiſque Palatini dignitatem & jura Deſmoniæ Comites in hoc habuere munificentia Regis Edvvardi tertii, qui omnes Regales libertates, exceptis quatuor placitis, videlicet de incendio, raptu, forſtal, & theſauro invento cum proficuo de croccis, (Regibus Angliæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

gliæ reſervatis,) illis conceſſit. Sed hominum iniquitate, qui libertate uti & noluerunt & neſcierunt, in malorum ſentinam & ſeditioſorum perfugium jampridem erat converſus. In limine hujus regionis territorium eſt Clan-Morys, à Mauritio quodam è ſtirpe Raimundi Craſſi, cujus poſteri Barones de Lixnavv, appellatum. Medium fluviolus nunc anonymus Traitey opdidulum quodammodo deſolatum (ubi Deſmoniæ Comites ædes habuerunt) præterfluens interſecat. Iuxta Ardati eſt, ubi ſedet Epiſcopus, dictus Ardefartenſis, & ille quidem indigus: in extremo fere promontorio hinc Dingle portus commodus, inde Smervvic ſtatio (ſic contracte pro S. Maryvvic) cernitur. Ad quam nuper cum Gyraldus Deſmoniæ Comes, vir profunda in principem & patriam perfidia, ſcelerate aſſiduis agrorum vaſtationibus Momoniam attereret, appulſa eſt tumultuaria Italorum & Hiſpanorum manus, à Gregorio XIII P. Rom. & Hiſpano in illius auxilium ſubmiſſa, qui loco hic ſtativis munito, quem Fort del ore vocarunt, minis cœlum terrebant. Sed illuſtriſſ. & bellicoſi Baronis D. Arthuri Grey Proregis adventus & primus impetus rem decrevit. Protinus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

nus enim ſe dediderunt, & maximam partem è medio ſublati. Ipſeque Deſmonius tandem trepida fuga in vicinas ſylvas conjectus, mox in tuguriolo ab uno & altero milite irruente primum ſauciatus, poſtea agnitus, capiteque truncatus, anno 1583.

Deſmonia, Deſmond Comitatus. In ea varia ſunt æſtuaria; inter quæ tria in Africum evagantur anfractuoſis littoribus promontoria. Primum inter Dingle & Mair fl. Clan-Car dicitur; habetque caſtrum à Careuvvis Anglis ad Dunkeran conditum. In hoc habitavit Donell Mac-Carty More, ex Hibernica origine, Regulus, qui anno cIↃ IↃ LXVI poſſeſſiones & latifundia ſua R. Elizabethæ in manus tradidit, & ab ea recepit, ut Anglico more clientelari jure fiduciæ nomine teneret. Eodemque tempore Baro Valentiæ (ea eſt inſula adjacens) Comeſque Clan-Car creatus eſt. Secundum inter Maire & Bantre ſinus continetur, Beare nomine, jejuna plerumque, glarea & lapidoſa macie; in quo agunt O. Svvillivant Beare & O-Svvillivant Bantre, ex eadem ſtirpe, & apud ſuos inprimis nobiles. Tertium Erangh dicitur, inter Bantre & Baltimore; qui copioſa halecum captura notiſſimus eſt ſinus: in hoc O.Ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

O-Mahoni ampla prædia beneficentia M. Careuvv acceperunt. hoc promontorium hodie Miſſen-Head dicitur. Cæterum, hic ipſe Comitatus in Gyraldidarum ſtirpe manſit ad Gyraldum ſupradictum, & jam Regio patrimonio acceſſit.

Corcagienſis Comitatus, vulgo Corck, olim Regnum, omnem tractum maritimum à Liſmaria uſque ad Sanct Brend comprehendit. Qua Deſmoniam ad occaſum ſpectat, habet in mediterraneis Muskeray ſylveſtrem regionem, in qua Cormaci Mac-Teg nomen celebre: & ad oram maritimam Carbray, in qua Mac-Carti plurimum valuerunt. Ad mare primum occurrit Roſs, ſtatio & portus olim frequens, jam objecto pulvino arenario infrequens. Inde anguſta cervice procurrit peninſula, The old head of Kinſale dicta: poſtea ad Bany fluminis oſtium in ſolo fertili & ſatis nemoroſo eſt Kinſale, portus percommodus; & vetuſtis mænibus munitum oppidum; ſub quo, anno cIↃ IↃc I, regni Hiberniæ jacta erat quaſi alea, & in medium diſcrimen & certamen deventum, an juris eſſet Anglici an Hiſpanici, cum & domeſticis hoſtibus laboraret inſula, & VIII mill. veteranorum Hiſpanorum du-
ctore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ctore Ioanne d'Aquila ex improviſo hoc occupaſſent, cenſuris pontificum in Elizabetham effulminatis freti, & rebellium auxiliis qui illos evocaverant. Sed Carolus Blunt, Baro Montioy, Prorex, defeſſo licet milite, & brumali die, obſidione ſtatim terra marique cinxit, ſimulque contra rebellium colluviem, quam Tirœnius Comes, O-Donell, Mac-Gvvyre, Mac-Mahound, eo contraxerant, ſe objecit, eorumque ferocitatem tam feliciter contudit, ut una victoria & oppidum cum Hiſpanis deditione receperit, & de univerſæ Hiberniæ jam deſciſcentis manibus ferrum & flammam victor extorſerit. Ad alteram à Kinſalia ripam jacet Kerry-VVherry territoriolum, nuper Comitum Deſmoniæ. Iuxta quod flumen Daurona Ptolomæo, Cambrenſi Sauranus, præfluit; qui è Muskereiæ montibus profuſus, primariam Comitatus urbem, quæ indigenis Korcach, Angl. Corcke, dicitur, præfluit. Hæc Epiſcopali dignitate inſignis (cui Cloxenſis Cathedra adjuncta) mœnium ambitu quaſi ovali concluſa, flumine circumfuſa atque diviſa, nec niſi per pontes pervia, & una quaſi directa platea, quæ ponte juncta, protenſa. Emporiolum tamen frequens & celebre,

ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ſed ita ſeditioſis vicinis circumſeſſum, ut perpetuas vigilias agitent: & cum filias extra elocare non poſſint, omnes fere ſeſe aliquo affinitatis gradu contingant.

Sub Corcagia flumen diſpertitum amplam & perquam amœnam amplectitur inſulam, è regione habitationis vetuſtiſſimæ & inclytæ familiæ Barrenſium, Barry-Court dictam. Pauloque inferius Saverenus, juxta Imokelly amplam jampridem Comitis Deſmoniæ poſſeſſionem, oſtio portuoſo ſe oceano commiſcet. Superiorem regionis partem perfundit Broodvvater, olim Aven-More, id eſt, magnum flumen. Hujus & VVaterfordienſis Comitatus ad mare limes; ubi portum efficit, cui Yogall aſſidet, non magna quidem illa, ſed undique muris cincta, forma oblonga, bifariamque diviſa. Pars ſuperior & major, in ſeptentriones porrecta, habet Eccleſiam, & extra mœnia monaſteriolum; inferior ad auſtrũ, ſuum etiam monaſterium habet. Portus commoditas & regionis vicinæ fœcunditas mercatores ita invitat ut ſatis ſit frequens; & Majorem pro ſummo magiſtratu habet. Comitatum hunc conceſſit Henricus II Roberto filio Stephani, & Miloni de Cogan; à cu-

à cujus filii Stephani hærede genus recta linea ducit Georgius Careuvv, nunc Baro Careuvv de Clopton, non ita pridem Momoniæ præſes.

Comitatus VVaterfordienſis, ſua amœnitate & fœcunditate regio ſane læta; ad plagam orientalem inter flumina Broodvvater ab occaſu, Suirum ab ortu, Oceanum ab auſtro, & Comitatum Tiperarienſem ad ſeptentrionem, panditur. Ad Broodvvater, ubi primum Corcagienſes reliquerit, Liſmor cernitur, Epiſcopali ſede nota: quæ nũc, ex quo poſſeſſiones pleræq; abalienatæ, VVaterfordienſi Epiſcopatui adunatur. Prope vero oſtium Ardmor eſt viculus. haud procul Dungarvan caſtro ſatis munitum & ſtatione ſatis cõmodum mari apponitur, Coronæ Angliæ in perpetuum parlamentaria auctoritate annexum. VVaterfordia, primaria hujus Comitatus civitas, ad Suiri ripam conſpicitur. Hibernis Porthlargy. Cœlo craſſiuſculo, ſolo minus læto & anguſtioribus coarctata vicis; ea tamen eſt portus opportunitas ut opulentia & frequentia ſecundas in Hibernia ferat, fide & obſequio in Angliæ reges ſingulari. Vnde Reges Angliæ plurimas ei amplaſque immunitates ubinde conceſſerunt, quas Henr. VII

auxit & confirmavit. Hunc Comitatum Henr. VI Ioanni Talboth Comiti Salopiæ quondam ob ſingularem illius virtutem conceſſit; ſed anno 28 Henr. VIII Parlamentaria autoritate ad Coronam eſt revocatus.

Limiricenſis Comitatus, mediterraneus, à tergo Corcagienſis ad ſeptentrionem, inter Kerry, Shanon fl. & Tipperarienſem agrum, objacet fertilis & frequens regio, ſed quæ paucula oſtendit melioris notæ loca. Pars occidentalior Comlagh dicitur, in qua inter colles Knoc-Patric, id eſt, Patricii collis, ſurgit celſiſſimus, & amœno in mare proſpectu Shanon fluv. oceano Vergivio vaſto oſtio illabentem è longinquo proſpectat.

Limiricum urbs primaria Comitatus, Hibernis Loumeagh; quam diviſo alveo Shanon fluvius nobiliſſimus circumfundit. Sedes Epiſcopalis, & emporium Momoniæ admodum celebre; à Ioanne R. caſtello munitum. Hodie duplex eſt. Superius, in quo Cathedralis Eccleſia & caſtrum duabus patet portis, quæ ſuos habent è ſaxo pulchros pontes, cum propugnaculis & ponticulis verſatilibus, quorum alter in occaſum ducit, alter in ortum; cui inferius annectitur oppidum, mœnibus obvalla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

obvallatum, cum ſuo etiam caſtro & propylæo. In auſtrali hujus Comitatus parte eſt Kill-Mallo, ſecundum à Limirico & copia & frequentia, mœniumque ambitu incluſum; & Adare, munitum olim opidulum ad eundem fluvium, qui ſtatim in Shanon ſive Sineum exoneratur; cui adjacet Glan-Gibbon.

Tipperarienſis Comitatus, ad occidentem agro Limiricenſi & Shanon flumine, ad ortum Kilkennienſi, ad meridiem Corcagienſi & VVaterfordenſi, ad Boream territorio familiæ O-Caroll circumſcribitur. Pars auſtralis agri fertilitate eximia & annonæ copia luxuriat. Satis conſita ædificiis. Occiduam partem longo curſu Glaion flumen perfundit, à cujus ripa parum abeſt Emely ſive Avvn, ſedes Epiſcopalis, quam olim frequentiſſimam urbem fuiſſe dicunt. Mediam interſecat Sevverus fluvius; qui è Blandina monte profuſus, per Oſſeriam inferiorem & Thurles, primum monaſterium S. Crucis, olim celeberrimum, adit; (unde & regio adjacens Comitatus S. Crucis dicitur, qui Tipperarienſi nunc abſorbetur; inde Caſſiliam permeat, Archiepiſcopali dignitate ab Eugenio III ornatam, cui plures quondam Epiſcopi ſubfuerunt. Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Cahir caſtrum circumfluit, inſulas ſubinde ſpargens: & per Clonell, mercatum ſatis frequentem, & munitione tutum, atque Carick mac-griffin, rupi impoſitam Comitum Ormondiæ habitationem, prolabens, Tipperarienſes relinquit. Pars borealis macra & ſterilior excelſis montium cacuminibus aſſurgit; & duodecim præ ceteris, quaſi quadam ſerie, Phelem-ge-modona vocant. hæc Latine Ormondia dicitur, Hibern. Orvvovvn, Angl. Ormond. cujus Comites è Butlerorum familia hodieque ſuperſunt, à Iacobo Butler deſcendentes, quem Edvvardus III ad hanc dignitatem promovit.

LAGENIA, LEINSTER.

Altera Hiberniæ pars incolis Lergh-nigh, Britannis Lein, Angl. Leinſter, Latinis Lagenia & Lagen. Tota maritima ad ortum jacet; à Momonia Neoro fluvio, quem multis tamen in locis tranſcẽdit; à Connachthia aliquandiu Sineo; à Midia ſuis limitibus terminata. Regio hæc objacet Angliæ. Forma triangulari eſt, lateribus non multum inęqualibus. Ab ortu Hiberno ad occidentalem apicem interſunt octuaginta quaſi milliaria: inde autem ad occaſum ſolſtitialem ſive æſtivum plus minus ſeptuaginta.

mari-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

maritima autem ad ortum & ſecundum mare Hibernicum ad octuaginta etiam protẽditur. Totus ambitus quaſi ducenta ſeptuaginta millia paſſ. colligit. Cœlum purum, mite, & temperato habitu placet; neque calore nimio neq; frigore excedens, temporibus anni & inſito continentis ingenio reſpondet. Fertilis & frugifera ut plurimum terra eſt; carnibus, piſcibus, aliiſque cibariis, butyro, & caſeo, & lacte dives. Frumẽto omnis generis, pecore & paſcuis ſatis felix. Multoque fertilior eſſet, ſi ad regionis ipſius invitamentũ agricolæ accederet induſtria. Fluviis commode irrigatur, & maxima ex parte ſylvis probe veſtitur: unum ſi excipias Dublinienſem Comitatum, qui de hoc defectu nimium conqueritur: is enim uſque adeo ſylvis indigus eſt, ut in ignis alimentum, vel ceſpite bituminoſo & pingui, vel foſſili ex Anglia carbone eo advecto, incolæ uti cogantur.

Hujus Provinciæ commoditates in pecore, marinis avibus, & piſcibus conſiſtunt. Equos item optimos & generat & alit, quos hobyes vocari diximus.

Diſtinguitur in Comitatus, Kilkenny, Caterlogh, Queens County, Kings County, Kildar, VVersford, & Dublin:

 quibus

quibus addit Speedus orientalem & occidentalem Midiam: & nuper additi VVicklo & Fernes.

Kilkenienſis Comitatus ab occaſu Tipperarienſi, ab ortu VVersfordienſi & Caterlogenſi, ab auſtro VVaterfordienſi, à ſeptentrione Reginæ Comitatu, & à circio Oſſeria ſuperiori definitur. Ager oppidis & caſtris undique ſpectatiſſimus, omniumque rerum copia præcellens. Iuxta Oſſeriam vaſti montes, Slerevv Bioemy, Blandinæ montes Gyraldo, convexis jugis immenſum ſe attollunt. è quibus Suirus, Neorus & Birgus profluunt, diviſis alveis decurrentes: priuſquam oceanum adeunt, concordibus ſe conſecrant aquis; unde tres ſorores ab antiquis dicuntur. Neorus, vulgo Neury, Comitatum hunc medium perſtringit: cumque prono curſu per ſuperiorem Oſſeriam delatus, multis utrimque propugnaculis fuerit affuſus, Kilkenny præterfluit, id eſt, cellam ſive fanum Canici, qui antiquitus ob vitæ ſolitariæ anctitatem hac regione maxime inclaruit. Municipium eſt nitidum, elegans, copioſum, & inter mediterranea hujus inſulæ facile primum. Dividitur oppidum in Hibernicum & Anglicum. Hibernicum quaſi ſuburbium eſt, & templum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

templum illud Canici habet quod Epiſcopo Oſſerienſi ſedem præbet. Anglicum vero oppidum multo recentius eſt, à Ranulpho III Ceſtriæ Comite conſtructum, mœnibuſque ab oceaſu Roberto Talboto & caſtro à Butleris firmatum. Inferius ad eundem Neorum ſedet oppidulum munitũ, Anglice Thomas tovvne, Hibern. bala-mac-Andan, id eſt, oppidum filii Anthonii, utrumque nomen ab extructore Thoma Fitz Anthonii Anglo, qui floruit ſub Henrico III, inditum; cujus hæredes etiamnum hujus Domini. Sub hoc Callan flu. in Neorum deſcendit; ad quem ejuſdem nominis eſt tertium hujus Comitatus municipium, ut Mis-Teog quartum.

Caterlogh Comitatus, contracte Carlogh, ad ortum Kilkenniæ Comitatui adnectitur, totus fere inter Birgum ſive Barrovv & Slane flumina interſitus; gleba fertilis, & ſylvis ſatis opacus. Duo habet clarioris notæ oppida, utrumque ad occiduam Birgi ripam: Caterlogh, quod mœnibus armare cœpit Leonellus dux Clarentiæ, & Bellingamus Prorex Caſtello communivit; & Leightin, Latine Lechtinia, ubi cathedra fuit Epiſcopalis, Fernenſi ſedi jam adunata. utrumque ſuum habet præſidium, & ſuos

ſuos qui præſunt Conſtabularios. Comitatus ab Henrico VIII coronæ Angliæ vindicatus. Hinc Barrouvv Baroniam Ydron intermeat, à Petro Careuvv poſtliminii jure noſtra memoria recuperatam. Ad Slanam flumen Tullo cernitur, Theobaldo Butler à Iacobo Rege Vicecomitatus titulo datum. Cavanaghi hic circumquaque agunt, in numeroſam familiam propagati; viri bellicoſi, ſed qui per mutuas clades ſe quotidie conficiunt. Inter hos Neorus & Birgus aquas commiſcent, & pauca milliaria uno alveo emenſi Suiro ſorori maximæ miſcentur; qui ſtatim Oceano ſcopuloſo oſtio immergitur, ubi à ſiniſtra anguſta cervice excurrit promontoriolum, quod æditam turriculam navigantibus prætendit, à Roſſenſibus mercatoribus, quum florerent, poſitam, quo tutius oſtia ſubirent.

Super Caterlogh ad circium expanditur regiuncula ſylveſtris & uliginoſa, Leaſe Hibernis, Angl. Queens County, id eſt, Reginæ Comitatus, à Maria Regina in Comitatũ inſtitutus; unde primarium oppidum Mary-burgh dictũ; ubi cum ſuo Seneſchallo præſidiarii agunt; qui ſe ægre defendunt contra O-Moores, qui ſe ut antiquos hujus dominos gerunt, Mac-Gilpatric, O Dempſios,

ſios, & alios, malefica & tumultuoſa hominum genera, qui ad Anglos deturbandos & legum jugum excutiendum nihil non quotidie moliuntur. Ad aſperam hanc & hoſtilem partem, Hugo Lacy, qui Hiberniæ præfuit, caſtrum apud Tah melio, & alterum apud Obovvy, tertium ad Barrouvv flumen, & quartum apud Norrach, erexit. Inter cętera autem præmunivit Donemavvs caſtrum antiquum in agro uberrimo poſitum; & qua Barrouvv, qui ex Slevv Blomey montibus ad occaſum exortus, ſolitarius inter ſylvas oberrat, antiquam urbem Rheban videt, ſed cujus tantum pauculæ caſæ cum propugnaculo ſuperſunt. Vt Comitatus Reginæ à Maria, ita regiuncula contermina ad boream, & Birgo interlabente diviſa, quondamque Offalia dicta, in honorem Philippi Regis Hiſpaniarum, Regis Comitatus appellatur; & primarium oppidum Phil ps tovvne, ubi Seneſcallus cum præſidio locatus, & Anglici generis nobiles, VVarenni, Herberti, Colbey, Mori, inter Hibernicos O-Conor, Mac-Coglan, O-Mayly, Fox, & alii, agros à majoribus partos ſtrenue conſervant. Conqueruntur autem hi Hibernici indigenæ, patrimonia ſibi ademta, nec alios agros alibi ſibi

 aſſigna-

aſſignatos; unde qualibet tumultuandi occaſione plurimum negotii Anglis incolis ſubinde faceſſunt.

Kildarienſis Comitatus his ad orientem longo tractu prętenditur; ager lætiſſimus. Kildaria præcipuum eſt oppidum, cathedra Epiſcopali ornatum, quæ quondam Darenſis dicta. Sunt etiam in hoc Comitatu melioris notæ: Naas opidum mercatorium; Athre ad Birgum flumen; Mainoth caſtrum Comitatus Kildarium, oppidumque cui mercatum & nundinas Rex Edvvardus I conceſſit; Caſtle-Martin, primaria ſedes familiæ Fitz Euſtace.

Sub oſtio, quo Birgus, Neorus, & Suirus, in oceanum conſociatis aquis conduntur, ſe exhibet ad ortum in promontorio, quo littus circumagitur, VVersford ſive VVexford. Comitatus, Hibern. County Reogh. Ad Birgum fl. Roſs urbs olim ampla floruit; mercimoniis & habitatoribus frequens; ſed ob diſcordias inter cives & religioſos jam ad nihilum redacta, tantum mœnia magno ambitu oſtendit. Magis ad ortum Duncanon caſtrum præſidiarium flumini impendet; unde hunc locum, cum Hiſpani Hiberniæ anno 1588 imminerent, communire viſum. Inde ad ipſum fluminis oſtium cervix excurrit

currit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

currit anguſta, quæ æditam turriculam navigantibus prætendit. Parum hinc abeſt ſinuoſo in littore Tintern, ubi celebre monaſterium Guilielmus Mareſchallus Comes Penbrochiæ ob votum poſuit. Hoc promontorium Ptolemæus Hieron, id eſt, ſacrum, vocat; incolæq; extremum oppidum, ad quod Angli, cum hanc inſulam peterent, primum exſcenderunt, Banna, quod ſacrum ſonat, vocant. Ab hoc promontorio littus in ortum obverſum ad ſeptentrionem longo tractu procurrit, cui vadoſa objacent in mari loca, navigantibus inſidioſa, quæ nautæ the Grounds vocant. Comitatum quaſi medium interſecat Slana flumen, ad cujus oſtium, ubi ſtagnat, urbs VVersford, Comitatus caput, non ita magna, & Anglorum colonia; qui Anglo Hibernice jam loquuntur. Slanæ itidem Eniſcort municipium imponitur, & interius Fernes, dignitate Epiſcopali ſolummodo clara, quam Giraldidæ caſtro olim communiverunt. Vltra Slanam agitant Cavenagi, Donelli, Montaghi, O-Mori, Hibernici ingenio turbulenti, & inter illos Angli. Caucorum quondam fuit maritima illa regio; quam O-Toli & Birni Hibernicæ familiæ incolunt, homines ſcelere & ſanguine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ſanguine paſti, quietis impatientes, & qui, locorum præſidio freti, animo erga leges pervicaci, erga Anglos implacabili. Ad quorum audaciam comprimendam & legum authoritatem conſtabiliendam, ut hæ regiunculæ in Comitatus formam redigerentur, ſerio agitatum fuit anno 1578, & in ſex Baronias limitibus conſtitutis deſcriptæ, quę Comitatum de VVicklo & Arcklo conſtituerent. Præcipui enim nominis hic locus eſt, caſtrumque Comitis Ormondiæ, qui ſe Dominos de Arcklo inter titulos honorarios ſcribunt: ſub quo fluvius, qui Ovoca Ptolemæo, mare illabitur.

Comitatus Dublinenſis ab ortu mari Hibernico totus alluitur, ab occaſu Comitatu Kildariæ definitur, ab auſtro regiunculis O-Toolorum & Birnorũ, & quas Glynnes dicunt, conjungitur, à ſeptentrione Comitatu Midiæ & Nanny rivulo terminatur; gleba ad fruges fertili, & quæ lætiſſima profundit pabula; omnium animantium genere, quæ venatu & aucupio ad cibum capiuntur, abundans; ſylvis fere nuda. In auſtrali parte, quæ incultior, & dorſo ſatis nemoroſo hinc inde aſſurgit, cui valles Glynnes appellatæ ſubſident cavæ & arboribus opacæ, omnia infe-

ſtant

ſtant pernicioſæ duæ tribus O-Tooles & O-Birnes. Glandilaugh Epiſcopatus inter has valles cernitur, ſed deſolatus ex quo Archiepiſcopatui Dublinienſi adjunctus. Cætera hujus Comitatus incolis& oppidis ſunt refertiſſima; provinciisq; Hiberniæ reliquis diviti cultu & quodam peculiari nitore præcellit, & in quinque Baronias diſtincta, ſcilicet, Rathdoun, Nevvcaſtle, Caſtel-Knoc, Covvloc, & Bal-todry. In ora primo ſe exhibet VVick-lo, ubi portui anguſto impendet rupes firmis mœnibus incluſa pro caſtro. Nevv caſtle inde è colle mare proſpicit, videtque pulvinos arenarios longo tractu prætentos, inter quos tamen & littus mare VII orgyas altum perhibetur. Qua Bray fluviolus mare ſubit, Old Court cernitur; & huic proximum Povvers Court, amplum quondam caſtellum, ſed jam dirutum. A Bray oſtio ut ſinum admiſit, littus ſe inflectit, ubi inſulula S. Benedicti objacet, ſinumque aperit, qui Dublin-haven dicitur, in quem Liffius aquas ſuas invehit, nobiliſſimus huius Comitatus amnis, qui licet XV M.P. ab oſtio ſuo oriatur, anfractuoſis tamen flexibus ita ſe circumducit, ut primum in meridiem per S. Patricii terram, inde in occaſum, poſtea in ſeptentriones,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Com. Kildar perfundens, demumque in ortum converſus, per Caſtle-Knoc feratur. Ad ſeptimum ab ejus oſtio milliare ſedet urbs Hiberniæ prima, Hibern. Balaclergh, Angl. Develin, Lat. Dublinium; emporium nobiliſſimum, & primæ juſtitiæ forum, mœnibus validum, ædificiis ſplendidum, civibus frequens. Situm habet amœnum inprimis & ſalubrem: ad auſtrum enim ſurgunt montes, ab occidente patent campi, ab ortu mare propinquum cernitur; Liffius fl. ad boream defluens ſecuram navibus ſtationem præbet. Ad flumen poſiti ſunt Cay, quorum objectu aquarum impetus cohiberi poſſit. Mœnia hinc firmiſſima è lapide ſtructili protenduntur, (aggeribus etiam ad auſtrum munita,) quæ ſex portis patent: longioribus indè procurrentibus ſuburbiis. Ad ortum porta eſt Dammenſis, & juxta, caſtrum eminet Regium, foſſis, turribus, armamentario munitiſſimum. In orientali ſuburbio juxta Eccleſiam S. Andreæ Henricus II palatium ſibi Regium curavit erigendum, miro artificio exſtructum. Collegium hinc pulcherrimum è regione ſpectatur, S. Trinitatis nomini conſecratum: quod ad ingenia melioribus artibus excolenda à f. m. Elizabetha

Regina

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Regina academicis privilegiis donatum, inſignique nuper inſtructum eſt bibliotheca. Borealis porta ad pontem aperitur, opere arcuato, è vivo ſaxo à Rege Ioanne conſtructum; qui Ouſtmannorum oppidum cum urbe conjungit. Ad auſtrum porta patet Paulina; & S. Nicolai, ad Patricianum ſuburbium præbens aditum; in quo ſitum Archiepiſcopi Dublinenſis palatium, templumque ampliſſimum S. Patricio ſacrum, turri præcelſa conſpicuum. Eſt & altera Cathedralis Eccleſia in urbis meditullio, quæ templum Chriſti communiter dicitur. Ad auſtralem illius partem prætorium è ſaxo quadrato conſurgit, Toleſtate dictum: ubi cauſæ à prætore urbano cognoſcuntur, frequenteſque civium aguntur conventus. Olim pro ſummo Magiſtratu Præpoſitum habuit. ut Major & duo ballivi quotannis eligerentur, Henricus IV conceſſit. Denique nihil deeſt quod in florentiſſima urbe requiras, niſi quod portui ita officit arenoſus cumulus, reciproco maris æſtu in Liffy oſtium aggeſtus, ut majoribus navigiis, niſi æſtu accedente, ſubvehendis impar ſit. Dublinenſibus ad aquilonem adjacet Fingall, id eſt, gens exterorum; cultiſſima regiuncula, &

quaſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

quaſi horreum hujus regni: tantam frumenti vim quotannis ſuppeditat, agricolarum induſtria ad terrę fœcunditatem accedente.

MIDIA, METH.

Ager reliquus Eblanorum, olim regnum fuit, & quinta Hiberniæ portio, quam patrio vocabulo Myh vocant, Ang. Methe, Gyraldus Midiam. Ab Hibernico mari ad Sineum uſque flumen protenſa jacet; in duas partes diviſa, Comitatum Midiæ, & Comitatum occidentalis Midiæ.

Comitatum Meth à meridie Kildarienſis ager, ab ortu Dublinenſis & mare, à ſeptentrione Louthenſis, ab occaſu Comitatus VVeſtmeth, circumcingunt. Totuſque in XVIII Baronias dividitur. Boyn flumen è ſeptentrionali latere Comitatus Regii fontes aperiens hunc interluit. In citeriore parte cis Boyn memoratu digna ſunt Gaſtrim, caſtrum Killin, & Dunſani. Trans Boyn, ſunt Trimletſtonn, Gormanſtonn & Slane, & Aboy frequens mercatus. At Boyn fl., cum præterlapſus fuerit Glan-lores, Trim ſubluit melioris notæ emporiolū, cum caſtro. Inde Navain, & pleniore jam alveo in mare prope Drogedam effunditur.

Comi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Comitatus VVeſtmeth, id eſt, occidentalis Midia, alteri ad occaſum contigua, ad Shanon fl. pertingit, inter Regium Comitatũ ab auſtro, & Longford Comitatum ab arcto, interpoſitus. Quibus nec ſoli fertilitate, nec incolarum multitudine, nec alia re quavis, niſi forſan vitæ cultu, lubens concedit. Authoritate parlamentaria Molingar, quod quaſi in medio jacet, caput & primarium Comitatus oppidum eſt conſtitutum: & tota regio in XII centurias ſive Baronias diſtincta: ſcilicet, Fertulogh, ubi Tirelli; Ferbille, ubi Darcii incolunt; Delvin, quæ clariſſimam Nogentorum ex Anglia familiam Baronis Parlamentarii titulo exornat; Fourtia, & Corkery, ubi Nogenti agunt; Moyaſell, ubi Tuti; Magerthieman, ubi Petiti & Tuti plurimi; Morgoiſy, ubi Tuti & Nangli; Rathcomire, ubi Daltoni; Magirquirke, ubi Dolloni; omnes Anglica ſtirpe; Clonlolan, ubi O-Malaglini, è Regum Midiæ ſtirpe; Moicaſſel, ubi Magohigans, meri Hibernici, rerum potiuntur. Midia ſuos quondam habuit Regulos. cum autem Angli in Hibernia pedem fixiſſent, Hugo Lacy maximam eius partem ſubjugavit; unde à Rege Henrico II Dominus Midiæ dictus. Pars dein

altera ad domanium Regis devenit; altera ad varias in Anglia familias.

Midiæ occidentali ad ſeptentriones jungitur Comitatus Longford, in hunc numerum Providentia Henrici Sidney Proregis ante paucos annos redactus, Analé prius dictus, & à numeroſa gente O Pharoll colitur; è qua duo ſunt Dynaſtæ; alter ad auſtrum, dictus O-Pharoll Boy, id eſt, Flavus, alter ad ſeptentriones, O Pharoll Ban, id eſt, Candidus; Angli autem inter eos admodum pauci, & illi jampridem ingreſſi. Hunc Comitatum præterlabitur Sineus, totius Hiberniæ nobiliſſimum flumen, accolis Shanon, Gyraldo flumen Senenſe. è Therne montibus in Comitatu Letrim effunditur; continuoq; ſecans in meridiem agros, modo ſe in ſtagna refundit, modo in anguſtias reſorbet; cumque unum & alterum lacum diffuderit, intra margines ſe colligens, Macolicum (nunc Malc) inviſit; ſtatimq; ab altero ſpacioſo lacu excipitur; (Lough Regith appellant.) hunc prætervecto Athlon oppidum inſidet, de quo poſtea. inde ſuperata ad Killoloe cataracta, maximarum navium capax, Limiricum urbem, uti diximus, complectitur. hinc per LX plus minus milliaria rectus, grandis & inſu-

inſuloſus, in occaſum properat; & ubicunque vadoſus, præſidiaria caſtellula, ad cohibendos prædonum tranſitus, majorum cura diſpoſita fuere.

CONNACHTHIA, CONACHT.

Provincia hæc, Hibernis Conaughty, Anglis Conaught, ad ortum parte quadam Lageniæ; ad ſeptentrionem parte itidem Vltoniæ terminatur: Ab occaſu, occidentali oceano pulſatur; ad auſtrum Sineo flumine à Momonia ſeparatur. Figura eſt oblonga, & ad utrumque extremum, tam boreale quam auſtrale, exilis & anguſta: ſed medium verſus ab utroque latere in amplitudine magis magiſque increſcit. In longitudine, à Sineo flumine, vel auſtrali illius cardine, ad Enis Kelling borealem, CXXVI numerantur milliaria; qua vero latiſſime patet à Tromer orientali limite ad Barragh Bay occidentalem, plus minus LXXX. Aër hujus regionis non adeo purus ac lucidus ac in reliquis Hiberniæ provinciis. Cæterum regio ut alicubi læta & ferax, ita ſubuvidis quibuſdam locis, herbidis tamen, quos à mollitie Boghes appellant; ut reliqua paſſim inſula periculoſa, & ſylvis opacioribus & crebrioribus condenſa. Ora maritima, multis ſinubus &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

navigabilibus alveis pervia, accolas ad navigationes quodammodo invitat, ſed innatæ deſidiæ dulcedo ita detinet, ut oſtiatim malint victum quærere, quam honeſtis laboribus paupertatem depellere. Hodie dividitur in hos Comitatus, Tvvomond ſive Clare, Gallvvay, Majo, & Slego, Letrim & Roſcoman.

Tvvomond, Hibern. Tovvoun, id eſt, ſeptentrionalis Momonia, grandiori promontorio & ſenſim tenuato in mare projicitur: Ab ortu, uti ab auſtro, flexuoſo Sinei fluminis meatu, ab occaſu oceano ita concluſa, & à ſeptentrione Gallovidiæ Comitatus confinia attingens, ut nullus terreſtri itinere niſi per Regionem Clan-Richard in illam aditus pateat. Regio, in qua nec à ſalo nec à ſolo quicquam deſideres, ſi modo incolarum induſtria accederet. Celebrioris notæ loca ſunt Killfenneragh & Killa-loe, ſive Laonenſis, ſedes Epiſcopalis. Haud procul à Sinei ripa ſedet Bunraty; cui Henricus III jus mercatus & nundinarum conceſſit. Ad ſeptimum inde milliare Clare primarium oppidum conſpicitur, ad receſſum è Sineo inſulis frequentem. Quæ duo ſola hic ſunt emporiola. Angli qui olim huc traducti,

ducti, aut exciſi ſunt aut degenerarunt. hodie ex Hibernica ſtirpe hic rerum potiuntur Mac-Nemors, Mac-Mahon, O-Loghton, & longe potentiſſimi O-Brieni; qui Comitatum ab Henrico octavo acceptum hodieque poſſident.

Gallovvay Comitatus, ab auſtro Tvvomondia, ab occaſu Oceano, à ſeptentrione Majo Comitatu, ab ortu Sineo flumine, concluditur. Terra gnavo colono admodum grata, nec minus paſtori. Occiduum littus, æſtuariolis lancinatum, virentibus inſulis & rupibus ſerie quadam diſpoſitis prætexitur; inter quas inſulæ quatuor Arran dictæ Baroniam conſtituunt, Inis-Ceath, Colmanni monaſterio olim nota, & Inis-Bovind. Interius lacus Corbes, xx plus minuſve mill. paſſ. longitudine, III aut IV latitudine, fuſus; navigabilis, & tercentum inſulis graminoſis & piniferis diſtinctus; qui proxime mare in anguſtias arctatus Galvvay ſubluit: urbs hæc hujus provinciæ prima, elegans ſane & è ſolido ſaxo forma fere orbiculari conſtructa, ſedeque Epiſcopali clara, portus & ſtationis beneficio mercatoribus frequens. Vix quatuor milliaribus hinc abeſt Knoctoe, id eſt, collis ſecurium: & ad ortum

Atherith, vulgo Athenry, magno mœnium ambitu circumdata, ſed raris habitatoribus. Huic Comitatus accenſetur Clan-Ricard. In hac regione eſt Archiepiſcopalis ſedes Toamenſis. cui plures olim paruerunt Epiſcopi: quorum quidam interciderunt.

Majo Comitatus, ad occidentem oceano, à meridie Gallvvay, ab ortu Roſcoman, ab aquilone Slego, circumſcribitur. Regio fertilis & amœna, pecore, damis, accipitribus, & copia mellis, abunde dives. nomen habet à Majo urbecula Epiſcopali; ſed ſedes illa jam metropoli Toamenſi annectitur. In hac olim celebre monaſterium fuit: nec alius memoria dignus occurrit locus, niſi Logh-mesk lacus, ſatis amplus & piſcoſus; in cujus duabus inſululis propugnacula tuta ſunt familiæ de Burck. Cæterum incolis quam oppidis celebrior hic Comitatus; inter quos Galloglaſii triarii, qui ſecuribus utrimque acutis pugnant, loricis annularis armati, Scoticæ originis, ex Hebridibus inſulis.

Comitatus Slege adjacet, benigna paſcendis pecoribus fæcunditate, totus etiam mari obverſus. Ad boream Trobis fluvius, ex Erno lacu emiſſus, ab Vltonia; à vicinis Comitatibus Curleuvv

montes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

montes difficiles, ſeparant; Succuſque amnis interdividit. In hoc portuoſa ſtatio ſub Slego, præcipuo hujus Comitatus loco. ubi caſtrum, nunc ſedes familiæ O-Conor; qui de Slego denominati, & genus à Rotherico illo O-Conordun, qui ſe Hiberniæ monarcham ferebat cum Henricus ſecundus Angliæ Rex Hiberniam ſubjugaret, repetunt.

Comitatum Slego ad ortum claudit Breany, poſſeſſio antiquæ familiæ O-Rock, donec Brienus à Sixto V. P. & Hiſpano inſtigatus adverſus Reginam rebellaret, & è Scotia retractus temeritatis pœnas ſuſpendio lueret: tum enim provincia hæc in Comitatus converſa, & Letrim à primario oppido dicta. Tota montibus aſſurgit luxurioſe graminoſis; totque paſcit pecora, ut anguſto illo, quo circumſcribitur, ſpatio, uno tempore ſupra centum viginti millia pecorum numerarit. Sineus ſive Shanon fluvius hinc originem ducit.

Sub Comitatu Letrim ad meridiem ſubjacet Roſcoman, Comitatus nuper inſtitutus, anguſtiori quidem ſed longiori ſpatio inter Succum flu. ab occaſu, & Sineum ab ortu, & Curleuvv montes à ſeptentrione, cõcluſus. Terra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

in planiciem plerumque porrecta fertilis, & quæ numeroſa paſcit armenta, adhibitaque mediocri cultura fruges benigne producit. In hoc Comitatu quatuor cenſentur Baroniæ. Sub Curleuvv montibus ad Sineum flumen Baronia Boile, ubi Mac-Dermot rerum potitur. Dein ad Succum Baronia Balin-Tober, ubi O-Conor Dun plurimum poteſt; cui adjacet Elphen ſedes Epiſcopalis. Inferius Roſcoman O Conori Roo Baronia, in qua eſt oppidum totius Comitatus primarium, caſtro olim munitum, ſed ædificiis culmeis tectis. Et magis ad auſtrum O-Kelliorum Baronia, Athlone à præcipuo oppido nominata, quod ſuum habet caſtrum, & præſidia, & pontem è vivo ſaxo pulcherrimum, quem Elizabetha Regina conſtruendum curavit, cum eo loco ad ſeditiones Hibernorum cohibendas Proregis ſedem conſtituere cogitaret.

Connachthia primo regem ſuum habuit; quo ab Anglis debellato VVilhelmi Bourck ſive de Burgo potentia maxime hic emicuit, Vltonia etiam acquiſita; cujus utriuſque hæreditas per unicam filiam Guilielmi de Bourck in familiam Regiam ſub Eduardo III venit, reliqui affines & cognati ſenſim Anglico cultu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

co cultu depoſito Hibernicos mores induerunt: quorum alii à Richardo de Bourck deſcendentes Clan. Ricard; alii à Guilielmo, Mac-VVilliam Oughter, id eſt, ſuperior, aut Mac-VVilliam Eughter, id eſt, inferior, dici gaudent; ut illi, qui in Majo Comitatu maxime rerum potiti ſunt, ſimpliciter Mac-VVilliam, tanquam nomine pleno honoris & authoritatis, dici geſtierunt.

VLTONIA, VLSTER.

Hæc denique Provincia Cambrobritannis Vltvv, Hibernicis Cui-Guilly, Anglis Vlſter, Latinis Vltonia. Ad ſeptentriones anguſto freto à Scotia dirimitur: ab auſtro ad Connachthiam & Lageniam ſe extendit: orientalis plaga Hibernico mari incumbit: & occidentalis æſtuoſo & turbulento vaſtoque occidentali oceano continenter pulſatur. Hæc provincia cum ſit Hiberniæ ad Boream ultima, Scoticis inſulis, quæ Hebrides dicuntur, & ſparſim in mari inter utrumque regnum poſitæ ſunt, prætenditur. Forma pene orbiculari eſt; & in longitudine à portu Coldagh, boreali cardine, ad Kilmore auſtralem terminum, centum fere millia paſſuum colligit: latitudine autem à Black abbey ortivo limite ad

Calebegh promontorium occiduum centum triginta & inſuper aliquot auctarii vice milliaria numerantur. Totius circumferentia quadringentis plus minus & viginti millibus paſſuum circumſcribitur. Raro hæc regio immodicam ullam cœli intemperiem ſentit, dum & mobiles & celeres venti intenſos æſtatis fervores refrigerant, molleſque ac mites pluviæ rigidos hyemis algores mitigant. Nubes aëriæ ſpectabiles & peramœnæ ſunt; cumque vel impuriſſimæ ſunt, nec inſalubres nec diuturnæ, ventis commotioribus eas perpetuo impulſu agitantibus, repeRiuntur. Aequalis hęc cœli temperies in cauſa eſt quod ſolum etiam varii generis arbores copioſe producat, tam fructiferas quam ædificiis opportunas. Regio admodum herbida & rei pecuariæ commoda: equorum, ovium & boum apprime dives. Fluvii itidem duplum (ut ita dicam) vectigal & tributum penſitant, profunditate navigiis tam ad voluptatem quam ad utilitatem ferendis pares; iidemque piſcoſi, & propriis accolarum uſibus & aliorum commodis inſervientes. Salmones in quibuſdam hujus provinciæ fluminibus numeroſiores quam in ullo alio totius Europæ conſpiciuntur. Vt ſummatim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

matim dicam, licet alicubi ſterilior ſit, lacubus, ſtagnis, condenſiſque ſylvis impeditior, ubique tamen pecore pabuloque fælix eſt, ac omni tempore improbis ac operoſis agricolæ laboribus abunde grata. Natura hic adeo nihil aut parum vel arti vel induſtriæ debet, ut florulenta & variegata riparum ſpecies, umbroſa nemora, virentia prata, colles molliter declives, agrique ferendis frugibus ſubactione & cultura adhibita non inepti, indignari quodammodo & ſuccenſere incolis videantur, quod incuria ſua & negligentia omnia inhorreſcere & ſylveſcere patiantur. Atque ut regio ſine ſubactione inhorreſcit, ita & incolarum ingenia ſine humaniore cultura maxime efferantur. Vt tamen in officio continerentur, qui omnia juris, pudoris & officii repagula perfringere ſolebant, pars ejus citerior in tres Comitatus, Louth ſcilicet, Dovvn, & Antrimne, olim diviſa fuit; & nunc reliqua in ſeptem Comitatus novos dividitur, videlicet Cavon, Fermanagh, Monaghan, Armagh, Cotran, Tir-Oen, & Donegall ſive Tir-Conell, provida cura Ioannis Perotti Proregis, anno 1585; qui vir ſane magnus & animorum provinciæ gnarus, cum nihil conſultius ad Hiberniæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

niæ tumultus ſedandos proſpiceret quam has Vltoniæ partes in ordinem redigere, eo profectus dubio & difficili tempore, cum Hiſpanus Hiberniæ & Angliæ immineret, gravitate & authoritate, dum prohibendo injurias bellorum cauſas exſcinderet, omnes Vltoniæ dynaſtas eo perduxit, ut libenter ditiones ſuas in Comitatus dividi, & Vicecomites, qui præeſſent, admitti paſſi fuerint. Provincia hæc quinquaginta ſex caſtellis & propugnaculis munita; ac mercimoniis faciendis novem oppida, quæ vocant mercatoria, inſtituta. Comitatus Louth, Hibern. Iriel ſive Vriel, ultra Midiam & Troine fluvii oſtium mari Hibernico obverſus, flexuoſo littore in ſeptentriones procurrit, ſolo pabuloſo & adeo feraci ut agricolarum impendiis facile reſpondeat. Iuxta Boini oſtium ſedet Drogheda, Anglis Tredach, elegans & frequens oppidum, à ponte appellatum, & Boino interfluo diviſum. cui multas immunitates Reges Angl. conceſſerunt, & inprimis officinam monetariam. Huic vicinum monaſterium Mellifons; & ad ſeptem hinc mill. Ardeth, mediterraneum oppidum, ſatis notum; & ſupra, Dundalk, portu commodo & mœnibus olim validum. Octavo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ab hoc milliari abeſt Carlinghford, portus ſatis celebris. nec alii in hoc Comitatu loci memorandi. In occaſum proxime adjacet Comitatus Cavon, olim Braenny orientalis dictus; habitatio gentis O-Reiley, quæ ſe ex Anglica Ridleyorum venditat origine, cum vitæ inſtituto mere ſit Hibernica. Comitatus in ſeptem Baronias diviſus. Caſtellulis, non oppidis, ſparſim habitatur; Epiſcopatumque ſuum habet, licet tenuem, cujus ſedes ad Kilmore.

Ad occaſum & ſeptentriones poſt Cavon, ſe offert Fermanagh, regio nemoroſa & admodum paluſtris. In cujus medio celeberrimus ille & maximus Hiberniæ lacus Erne, XL mill. paſſ. extentus, ſylvis opacis coronatus, & inſulis habitatis confertiſſimus; quarum nonnullæ C, CC, & CCC jugera continent: luciis, trutis, & ſalmonibus, & aliis piſcibus, tam copioſus, ut piſcatores nimiam frequentium piſcium copiam, retiumque rupturas potius, quam defectus conquerantur. Primum, ad Baltarbet, maxime borealem Cavon Comitatus viculum, ab auſtro ſeptentriones verſus expanditur, lõgitudine XIV, latitudine IV mill. paſſuum; mox in arctũ coit inſtar juſti amnis per ſex mil-
liaria,

liaria, in cujus alveo Inis-Killin præcipuum hoc tractu propugnaculum; inde in occaſum converſus maxime expatiatur, longus xx, & latus x, ad Beleck uſque, juxta quod cataracta, & nobiliſſimus, quem vocant, Salmonum ſaltus. Mac-Gvvir inter Dynaſtas in hoc tractu nobilis & potens, quique ſunt ex illa tribu, utrimque accolunt.

Erno lacui ad orientem prætenditur Monaghan, Comitatus collibus æditus, ſylvis veſtitus, ſed nullo notus oppido, niſi Monaghan, quod nomen univerſo agro impertiit. dividitur in quinque Baronias; continetque Iriel, Dartre, Ferney, Loghtey; quæ parlamentaria authoritate ob rebellionem abjudicatæ fuere à Mac-Mahonis, cum regiuncula Donemain, quam Elizabetha Regina VValthero d'Evereux Eſſexiæ Comiti donavit.

Ad latus orientale Comitatus Armagh prætenditur, ita ut ab oriente Neury flumine, ab auſtro Louth Comitatu, ab arcto Aqua nigra, quaſi circumdetur. regio totius Hiberniæ ſolo lætiſſimo & maxime luxurianti; adeo ut ſi quid ad fœcundandum injiciatur, quaſi dedignatum ſterileſcat. Fevvs, regiuncula Turloghi Mac-Henry, è familia O-Neal, prima occurrit,

it, ſylvis obſita, & paludibus invia. Inde Orry, ſylvis indiga; ubi habitat O-Hanton; & propugnaculum Mont-Norrys à Carolo BaroneMontioy Prorege poſitum. Ad octavum hinc milliare prope Kalin flu. Armacha cernitur, ſedes Archiepiſcopalis, & totius inſulæ metropolis. quæ noſtro tempore incendio à Ioanne O-Neal deformata priſtinum ſplendorem amiſit; & pauculæ tantum caſulæ viminibus intextæ, hodie ſuperſunt, cum laceris parietibus monaſterii, prioratus & palatii primatis. Iuxta Armacham in colle intumeſcenti ſuperſunt reliquiæ antiqui caſtri, (Ovven-maugh vocant,) quod antiquam Regum Vltoniæ ſedem fuiſſe ferunt. Magis in occaſum Aqua nigra, vulgo Black-vvater, Hibern. More, id eſt, magna, ſerpit, limes inter hunc Comitatum & Tir-oen. Hac regione, & in vicinia, Mac-Genis, O-Hanlon, O-Hagan, & ex ſtirpe O-Neal quamplures variis agnominibus aſſumtis, rerum quodammodo potiuntur.

Ad ortum ſequitur Comitatus Dovvn, amplus, & ſolo fœcundo ad Hibernicum uſque mare protenſus, ad boream lacum Eaugh, ad auſtrum Louth comitatum attingens: à quo

flumine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

flumine Nevvry dividitur. Ad hæc in ipſo limine oppidum Nevvry noſtra memoria conditum à Nicolao Bagnall Hiberniæ Mareſcallo. Iuxta fluvius, Ban minor dictus, è ſolitudine montium Mourne effuſus, per Eaugh fertur regionem, quæ ad familiam Mac-Gynnis ſpectat, ſuamque habet Epiſcopalem ſedem ad Dromore; ſupra quam ad lacus Eaugh marginem Kilvvlto & Kilvvarny, ſylvis & paludibus impeditiores. Ad oram mare ita ſe inſinuat, & variis receſſibus terram excavat, lacuſque ſe dilatat juxta Daffryn vallem nemoroſam, ut duas faciat cherſoneſos, Lecal ad meridiem, & Ardes ad aquilonem. Lecal ager opimus, longiſſime totius Hiberniæ in ortum prominet, extremumque illius promontorium hodie S. Iohns Foreland dicitur. In ipſius iſthmo Dunum floruit, vetuſtæ ſane memoriæ oppidum, ſedeſque Epiſcopalis. Ad mare ſunt Arglas & Strangford, portus turus; ubi flu. Coyn magno aquarum inſultu in mare prorumpit. Ardes, altera cherſoneſus, è regione jacet; tenui alveo è lacu Coyn ab occidua parte, ab ortu mari, à ſeptentrione ſinu Knoc-fergus diviſa. Brachio inflexo aſſimiles; cum iſthmo, ut brachium armo, cæteræ
inſulæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

inſulæ adjungatur. Solum eſt ubique perbenignum; niſi ubi in medio per duodecim plus minus p. m. longitudine protenditur ſubuvida & voraginoſa planicies. Littus viculis ſatis conſitum. Interius ad lacũ Epiſcopalis ſedes Conerenſis. Supra Ardes ad occaſum auſtralior Clane-Boy, id eſt, gens Flava, vel tribus Hughonis Flavi, ſylveſtris regio, expanditur, ad ſinum Knocfergus à tribu Nigellorum ſive Neale occupata.

Ad ſeptentriones Antrim Comitatus ſuccedit, ab ignobili oppido ita dictus, inter Sinum Knoc-fergus, lacum Eaugh & Ban flu. Sinus ille Knoc-fergus ab oppido, quod illi aſſidet, ita dictus, celebri præ ceteris in hac ora ob portus opportunitatem, munimentis licet imperfectis, caſtello æditæ rupi adfixo, præſidiaria cohorte, & palatio antiquo, quod in armamentarium jam converſum. Iuxta jacet Clane-Boy inferior, O-Nealorum habitatio; de cujus principatu Hiberni mutuis cædibus diu concertarunt. Iuxta Knoc-fergus peninſula Magie tenui cervice continenti annectitur, quatuor mill. paſſ. longitudine, latitudine unum colliges. Glynnes deinde, id eſt, Convalles, ad male fidam ſtationem Olderfleet inci-

piunt, & longo tractu mari objectæ procurrunt. Prorex Ioannes Perrot filios Iacobi Mac-Conell eo adegit, ut ſe in Regis Angliæ fidem permiſerint, & beneficiario jure agrum hunc ſub certis conditionibus tenendum acceperint. Supra hæc uſque ad Bannam flu. Rovvte dicitur, ſedes Mac-Guillyorum, non obſcuræ apud ſuos familiæ; quam tamen Scotorum inſulanorum violentia & continua deprædatio in anguſtum angulum protruſit. Surley enim Boy, id eſt, Carolus Flavus, hanc ſui juris fecerat, donec caſtro Donluſe à Prorege expugnato, (quod rupi impoſitum mari imminet, & à terra profunda foſſa abjungitur,) & rurſus ab ipſo per proditionem recepto, abactis armentis, (quinquaginta enim vaccarum millia in peculio numerabat,) ita exagitaretur, ut Reginæ ſe ſubmitteret; à qua in gratiam receptus, quatuor territoria (Toughes vocant) cum præfectura caſtri Donluſe, certis legibus ab Angliæ Regibus tenenda accepit.

Vltra ad occidentem ſita eſt Krine, quam nunc Comitatum Colran à præcipuo oppido vocant, inter Ban flu. & Lough foile interpoſita, & ab auſtro Comitatui Tir-oen cõtermina. Ban fluvius eximiæ pulchritudinis, O-Mourne mon-

ne montibus in Comitatu Dovvne exortus, in Lough Neaugh ſe effundit, & poſt triginta milliaria exiens ad Tome caſtrum ſe recipit, & ſylvis coronatus ſuperbo alveo per Glancolkein oceanũ petit, ſalmonib⁹ longe fœcundiſſimus. In hac parte authoritate valet familia Cahanorum, cujus princeps O-Cahan, & inter beneficiarios O-Neali primus.

Comitatus Tir-oen, id eſt, Terra Eugenii, totus mediterraneus eſt; ad occaſum Liffer fl. à Tir-conell, ad ortum Eaugh lacu à Comitatu Antrim, ad meridiem Aqua nigra ab Armagh, diſterminatur. Regio licet ſalebroſa, ferax tamen, & ſane ampla, quæ LX milliaria longitudine, & XXX latitudine colligit; diviſa montibus Sleuvv gallen in ſuperiorem ad ſeptentriones & inferiorem ad auſtrum. In hac ſunt Clogar Epiſcopatus ſatis exilis; Dungannon præcipua Comitum habitatio, quæ Henrici VIII gratia titulum Baronis Matthæo filio primi Comitis Tir-oen fecit. Ædes ſane elegantiores quam pro regionis more, ſed quæ ſæpius ab ipſo domino, ne ab hoſte ſuccenderentur, incendio deformatæ. Vblogahel, ubi O-Neal barbaro ritu inaugurari ſolet: & munimentum ad Aquam nigram, quod varias martis vices ſubiit, cum non alius in hunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

rebellium agrum aditus pateret; nunc neglectum, poſtquam aliud vadum inferius repertum; ad quod in utraque ripa nova munimenta Carolus Montroy Prorex poſuit. Qui & aliud præſidiarium propugnaculum ſui nominis excitavit ad lacum Eaugh. Lacus ille pulcher, egregie piſcoſus & peramplus, xxx ſcil. mill. paſſ. plus minus patens: varia riparum facie, nemoribus opacis, pratis perpetuo virentibus, arvis, ſi colantur, frugiferis, collibus devexis, rivulis influentibus, ad amœnitatem & utilitatem à natura efformatus. In Tir-oen ſuperiore eſt Straban caſtrum notum, & nonnulla alia minoris notæ caſtella, quæ tantum turres ſunt editæ, anguſtis foraminibus potius quam feneſtris; quibus aulæ ceſpititiæ adjunguntur, culmeis tectis; ſuaſque habent areas amplas, foſſis & dumetis, ad armenta à prædonibus defendenda, circumſeptas.

Quicquid jam ſupereſt ad occaſum & ſeptentriones, hodie Comitatus Donegall ſive Tir-conell appellatur, id eſt, Terra Cornelii ſive Conalli. regio fere tota campeſtris & portuoſa, mari ſcilicet à borea & occaſu pulſata, ad ortum Liffer fluvio, & à Connachthia Erno lacu diſcluſa. Liffer prope fontes dilatatis

aquis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

aquis in lacum exſpatiatur, in quo inſula eminet, & in ea ad monaſteriolum crypta anguſtior, obverſantium neſcio quorum ſpectrorum terrore & horrendis viſis, vel potius religioſo horrore, decantata; Incolis hodie Ellan u frugadory, id eſt, inſula purgatorii, & Patricii purgatorium, nominatur. Vbi hic fl. Liffer aliis aquis adauctus propius mare accedit, iterum in lacum diffunditur, hodie Logh Foyle & Logh-Der. Ad hunc olim Derry monaſterium & ſedes Epiſcopalis floruit. nuper autem præſidium ad Comitis Tir-oen inſolentiam frænandam huc deduxit & poſtea coloniam Henricus Docvvia Eques. Robogdii ſupra Logiam locati omne ſeptentrionale hoc Hiberniæ littus tenuerunt; quorum Robog viculus epiſcopalis adhuc nomen ſervat. Ab hoc ſcopuloſo tractu extrema littora reflectuntur per Svvyllii lacus oſtium. ulterius magis ad occaſum Mac-Rvvyny Faid, Mac-Svvyny Netoeth, & Mac-Svvyny Banningh plurima poſſident. Reducto hinc littore Calebegh portum & ſtationem commodam navigantibus præbet; inde rudera caſtelli Sligah apparent, à Mauritio Fitz-Girald conſtructi. Inferius haud procul ab oſtio lacus Earne conſpicitur, Donegall mo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

naſterium & oppidum, unde Comitatui nomen. Præfuerũt huic territorio multis ſeculis domini è familia O-Donell, non alio titulo quam O-Donell, & domini de Tir-conell; donec rex Iacobus honorẽ & titulum Comitis Tir-conell non ita pridem Roderico O-Donell, fratri Hugonis illius rebellis qui patria profugus in Hiſpania obiit, honorariis tabulis contulit. Primus Vltoniæ Comes Ioannes Curcy; dein Hugo de Lacy, à quo per matrimonium tandem in familiam regiam devenit. Sed Anglia in partes ſciſſa, O-Neal & alii Hibernici has regiones occuparunt, & ita barbarie efferarunt ut nihil ſupra: adeoque, ut hæc provincia, quæ ſuis Comitibus olim magnam vim pecuniæ dependit, vix pauxillulum nummorum jam inde Angliæ Regibus reddiderit.

II.

DE HIBERNORVM PRISCIS recentibuſque moribus, & inſtitutis. *Ex Camdeno.*

LOcus nunc poſtulat ut de gentis hujus moribus aliquid attexam; & attexam ſane quod ad veteres ſpectat, ex veteri-

teribus, quod ad recentes, recentiori ex quodam ſcriptore, cum docto tum ſedulo, qui hæc accuratiſſime adnotavit.

Strabo in libro IV de Hibernicis: *Longe magis quam Britanni, ſilveſtres illius ſunt incolæ, anthropophagi, id eſt, hominum carne veſcentes, mandoneſque magni. Defunctos etiam parentes eſſe, in eximia honeſtatis parte ponunt. Nec minus alienis in propatulo uxoribus immiſceri, matribus etiam atque ſororibus. Horum etiam quæ commemoramus, dignos fide teſtes non ſane habemus. Atqui commanducandorum hominum morem Scytharum eſſe traditur.*

Pomponius Mela in libro III: *Cultores inconditi ſunt, & omnium virtutum ignari, pietatis admodum expertes.*

Solinus cap. XXI. *Sanguine interemptorum hauſto prius victores vultus oblinunt; fas & nefas eodem animo ducunt. Puerpera ſi quando marē edidit, primos cibos gladio imponit mariti, inq; os parvuli ſummo mucrone auſpicium alimētorum leviter infert, & gentilibus votis optat, non aliter quam in bello & inter arma mortem oppetat. Qui ſtudent cultui, dentibus mari nantium belluarum inſigniunt enſium capulos; candicant enim ad eburneam canditatem. Nam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

præcipua viris gloria eſt in armorum tutela.

Sed hæc vetuſtiora; medii temporis mores ſparſim Gyraldus Cambrenſis, & ex eo alii: nunc autem recentiores ex recentiori viro ſtudioſo habe, & ſuis ipſius verbis. qui nomine, ut colligo, I. Good, educatione Oxonienſis, profeſſione Sacerdos, & qui juventutem Limirici erudiit, circa annum MDLXVI: pro quo præfabor, illum nihil ad calumniam, ſed omnia ad veritatem collimare, & tantum de inconditis illis & mere Hibernicis loqui, qui in extremis deliteſcunt, & humaniores mores nondum induerunt. In univerſum gens hæc corpore valida & inprimis agilis; animo forti & elato, ingenio acri, bellicoſo, vitæ prodiga; laboris, frigoris, & inediæ patiens; Veneri indulgens, hoſpitibus perbenigna, amore conſtans, inimicitiis inplacabilis, credulitate levis, gloriæ avida, contumeliæ & injuriæ impatiens; &, ut inquit Gyraldus, *in omnes affectus vehementiſſima; qui mali, nuſquam pejores. & bonis meliores vix reperias.*

In commune liberis, cum ad ſacrum Baptiſmum accedunt, profana nomina imponunt, annectentes ſemper aliquid nomini, vel ab eventu acceptum, vel à

vetula,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

vetula, vel ex colore, ut Rufus, Albus, Niger; vel ex morbo, ſcabie, calvitio; vel ex ſcelere, ut latro, ſuperbus. & licet contumeliarum ſint impatientiſſimi; hæc tamen nomina non dedignantur optimates illi, qui ob eminentiam O literam nominibus præfixam habent. Parentis nomen, vel alicujus ex ea familia tum viventis, liberis imponere, fas non eſt; mortem ſibi inde accelerari perſuaſum habent. Mortuo vero patre, ejus nomen aſſumit filius, ne nomen intercidat: & ſi quis ex majoribus eo nomine præliando inſignis fuerit, ſimilis ab hoc virtus expectatur. Augent hanc opinionem Poëtæ, qui antiquorum illorum res geſtas literis conſignatas habent, & multa commentitia adnectunt, unde Poëtis his divitiæ accreſcunt. Novæ enim nuptæ, & puerperæ, ſe infames exiſtimant, ſi veſtes ſuas, quas habent optimas, non huic laudatori donent. Matres poſt ſextum à partu diem ex integro ſe martiali operi dedunt; parvulos ad nutrices exponunt; Nobilioribus multæ nutrices ex longinquis ſtatim aderunt, qui infantis nutritionem ambiunt, ſuoſque hiſce alumnis poſtponunt. Et quamvis intemperatiſſimi ſint propter cœli intemperiem, ſoli ciborumque humidi-

tatem, & juris exilium; cumque ſuis liberis lac præbere pro probro habeant; alumni tamen gratia & vir & uxor à commiſtione abſtinent. Si ſecus fiat, ſuis ſumptibus nutricem aliam ſubſtituunt. Tot fere ſunt nutrices, quot adoleſcentulæ famulæ, & ſtupri pretium lactendi infantulum facultatem putant. Si infantulus ægrotet, lotio veterrimo aſpergunt; & contra infortunia non ſolum principium Euangelii Ioannis, ſed clavum etiam obliquum ex equi ungula acceptum, aut lupinæ pellis particulam, pueris ex collo appendunt. Geſtantque in eam rem, tam nutrices, quam infantes, zonas ex mulierum crinibus contextas. Amaſiis etiam armillas ex illis crinibus concinnatas donari compertum eſt; an Veneris ceſton cogitant, neſcio. Nutritii multo plus operæ, opum, & amoris alumnis, quam natis impendunt; ab iis veſtes, ſumptus ad ſtudia, ad arma, ad quævis flagitia, ab iis dotes & pecora non tam ſuo jure accipiunt, quam extorquent, etiam prædis abactis. Omnes ab iiſdem enutriti, chariores ſe habent invicem, plus amant mutuo, plus credunt, quam ſi germani eſſent; adeo etiam ut præ his, & propter hos etiam, germanos odio habeant. A

paren-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

parentibus reprehenſi, ad hos altores ſuos confugiunt, & ab his animati in apertum ſæpe bellum contra parentes prorumpunt: ab his ad omnem flagitiorum immanitatem inſtructi, perditiſſimi evadunt: uti nutrices, virgines quas nutriunt, ad omnem obſcœnitatem erudiunt. Si alumnus aliquis è morbo laboret, incredibile quam cito audiant nutrices, etiam magno locorum intervallo ſejunctæ, quam ſollicitæ die noctéque ægrotanti adſideant. Nec aliunde quam ex his nutritiis maxime Hiberniæ corruptelæ profluxiſſe creduntur.

Conjicere licet, hanc quam reliquæ gentes, & calidioris, & humidioris eſſe naturæ, quod ex mirifica illorum carnis mollitie colligitur, quam ſibi tam terræ ingenium, quam lotionum quarundã artificium, exercitiumque, conferre, non eſt ambiguum. Pollent etiam propter eandem muſculorum teneritudinẽ incredibili agilitate, & omnium corporis partium flexibilitate. Otio inprimis ſunt dediti, ſummas reputant divitias labore carere, & ſummas ducunt delicias libertate gaudere: Muſica inprimis delectantur, citharaque, maxime chordis æneis, quas aduncis unguibus numeroſe pulſant. Si qui religioni

gioni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

gioni ſe conſecrant, religioſa quadam auſteritate ad miraculum uſq; ſe continent, vigilando, orando, & jejuniis ſe macerando, ut neutiquam ſit mirum quod de illorum monachis ſuperiori ſæculo ſcribitur. Ipſæ etiam adeo mulieres, & puellæ, jejunium per totum annum die Mercurii & Sabbathi obſervant. Quædam etiam eo die quo feſtum Catharinæ contingit; nec hoc Nativitatis feſto, nec graviſſimis morbis deſerunt. Cauſſam aliqui aſſignant; in puellis, ut bene de marito ſit proviſum; in mulieribus, ut in melius mutent conjugium, vel mortuis viris, vel relictis, vel etiam mutatis illorum moribus. Qui vero nequitiæ ſe ſemel emanciparint, ipſa nequitia ſunt nequiores.

Ex corticibus arborum, quas alders vocant Angli, nigras veſtes inficiunt. Vtuntur etiam ſambucinis baccis ad lanas flavas inficiendas. Ramis, cortice, & foliis populi arboris contuſis laxa induſia iſta crocea, quæ jam nullo fere ſunt in uſu, efficiunt; cum cortice arbuti ſylveſtris & ſale crocum adhibent. Quæ vero tingunt, non tam igne longo coquunt, quam inter alia frigidæ humanæ urinæ aliquot dies immergunt, ut color flavus ſit pertinacior.

Latro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Latrocinia apud eos nullam habent infamiam, quæ paſſim ſumma cum immanitate exercentur. Latrocinaturi preces ad Deum fundunt, ut præda offeratur; & prædam pro munere à Deo oblatam arbitrantur; neque vim, neque rapinam, neque homicidium Deo diſplicere perſuadentur. Audies à ſicariis, & incendiariis; *Miſericors eſt Dominus, & non ſinet pretium ſui ſanguinis in me irritum.* Patrum porro veſtigiis ſe inſiſtere dicunt, & eam ſibi vivendi rationem reliquam eſſe; nobilitatis autem ſuæ infamiam eſſe, ſi velint ex labore manuum victitare, & à facinoribus abſtinere. Progredientes ad prædam, vel aliquod aliud opus, obſervant mane quem primum obvium habent; ſi bene res cedat, ut idem quotidie ſibi occurrat, curant; ſin ſecus, ſtudioſe evitant. Nocte tempeſtuoſiſſima ſtertere, & non pedibus viam longiſſimam noctu conficere, & ſpoliando omnibus periculis ſe objicere, abjecti animi eſſe dicunt. Nuper nec templis, nec ſacris locis parcunt, quin inde etiam deprædantur; ignem quoque nonnunquam injiciunt; homines ibi latitantes interficiunt; & in cauſa eſt turpiſſima ſacrificulorum vita, qui è templis domos prophanas conſtituunt, & mere-

tricibus;

tricibus indulgent, quæ illos, quocunque concedunt, ſubſequuntur: abdicatæ vero per veneficia nocendi artes quærunt.

Concubinæ Sacerdotis & ſpurii intra templi ambitum manſitant, inebriantur, concumbunt, ſanguinem effundunt, animalia occidunt; ſacra inter illos ſylveſtres non ſunt; ſacelli forma, niſi extrinſecus, nulla; altaria nulla, vel conſpurcata; crucis imago deformata, ſi adſit omnino. Veſtes ſacræ putidæ, ut nauſeam provocent; altare portatile crucibus non impreſſum, & aliqua contumelia læſum; Miſſalis liber lacer, & Canone ſpoliatus; idem omnibus juramentis & perjuriis propoſitus; calix plumbeus ſine patina; vaſcula ad vinum cornea. Sacerdotes tantum rei familiari & liberis procreandis ſtudent. Rectores vero ſunt Vicarii, idque plurium ſimul parochiarum Canonici juris oſtentatores, ſed qui ne tantillum quidem eruditionis habent. liberos in Eccleſiis ſucceſſores habent; de quorum illegitimatione diſpenſatur. nolunt hi ſacerdotum ordinem inire, ſed presbyteris parochiarum curam demandant, ſine ullo ſtipendio, ut ex libro vivat, id eſt, ex munuſculo aliquo ad Baptiſmum, Inunctionem & Sepulturam

turam ſibi oblato, ex qua tenuiſſime & miſerrime vivitur.

Sacrificulorumque horum filii, qui ſtudia non conſectantur, plerunque latrocinio ſunt inſignes. Qui enim Mac-Decan, Mac-Pherſon, Mac-Oſpac, id eſt, filii Decani, Eccleſiæ rectoris, & Epiſcopi, maximi exiſtunt prædones, & ex parentum liberalitate ad ſeditioſorum manum conſcribendam potentiores, eoque magis quod ad paternum exemplum hoſpitalitati vacant. Filiæ autem horum ſacrificorum, patribus ſuperſtitibus, magnis dotibus elocantur, ſi nubunt; Patribus vero defunctis, aut mendicant, aut ſe proſtituunt. Ad tertium quodlibet verbulum jusjurandum interponere ſolemne habent, nimirum per Trinitatem, Deum, Sanctos, Patricium, Brigidam, Baptiſmum, Fidem, Templum, Compatris manum, Tuam manum. Sed ut fidem præſtent, hæc tria maximi ſunt ponderis. Primum, ut juret ad altare, libro tacto, aperto, ſuperque caput poſito. Secundo, ut adhibeat ſibi teſtem Sanctum aliquem, cujus baculum recurvum, vel campanam, tangat & oſculetur. Tertio, ut juret per manum Comitis, vel Domini ſui, vel potentis alicujus. Nam ſi perjurus convincatur, per priora duo

inſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

infamiam ſubeat; ſi hoc tertio peierabit, grandem ſummam pecuniarum & vaccarum extorquebit potens ille, quaſi ſuo nomini maxima ex perjurio illata fuerit injuria. Vaccæ enim ſolæ & gratiſſimæ ſunt opes. De quibus non videtur indignum hoc annotare. Res certa, (ut ille ſcribit,) quod lac non prębent vaccæ in Hibernia niſi adjungatur ſibi ad latus vitulus ſuus vivus, aut corium mortui ſtramine ſuffertum, ut vivi imaginem referat; quaſi odorem enim ſui uteri in corio agnoſcunt. Si inutilis fiat vacca, advocatur maga, quæ herbis, alieni vituli amore capi faciat, ut lacteſcat.

Extra oppida raro matrimonia contrahunt. non de præſenti, ſed de futuro promittunt, vel ſine deliberatione aſſentiunt: inde enata leviſſima lite divertunt, vir ad aliam fœminam, illa ad alterum maritum; nec an contractus veri falſive fuerint, ante extremum ſpiritum unquam explorare cognitum eſt. Hinc bella circa agrorum poſſeſſiones, prædationes, homicidia, odia capitalia. Magæ conſuluntur ab ejectis mulieribus; quæ viro priori, aut novæ nuptæ vel ſterilitatem, vel genitalium impotentiam, vel morbos periculoſiſſimos inferre creduntur.

Omnes

Omnes enim mirum in modum in inceſtum propenſi, & conſcientiæ prætextu divortia creberrima. Mulieres vero perinde ac viri, comas ſuas plurimi faciunt, præſertim ſi aurei ſint coloris, & prolixæ: oſtentant enim ad longum complicatas, & ornate contortas dependere ſinunt, cùm capiti interim multas ulnas tenuiſſimæ ſindonis circumvolvunt. Hoc genere coronæ utuntur omnes quæ poſſunt comparare poſt puerperium, ſive ex matrimonio, ſive ex ſtupro.

Huc recedunt ſuperſtitiones non paucæ. Neſcio an Lunæ divinum honorem deferunt. cum enim primum ab interlunio vident, vulgo genu flectunt ſilveſtres illi, & orationem Dominicam recitant;& ſub finem, Lunam alta voce alloquuntur: *Tam ſanos nos relinque, quam inveniſti.* Lupos ſibi adſciſcunt in patrimos, quos Chari Chriſt appellant, pro eis orantes, & bene precantes; & ſic ſe ab illis lædi non verentur. Spatulare os ovis carne nudatum tranſpiciunt, & inde aliquem ex illis ædibus efferendum prædicunt, ſi aliqua macula in ipſo obſcurior videatur. Maleficam eam arbitrantur quæcunque à ſe ignem Kalendis Maji petit; nec dabunt, niſi ægro, & cum imprecatione;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ea de cauſa arbitrantur, eandē ſequenti æſtate butyrum omne ſuffuraturam. Leporem per armenta kalend. Maji occidunt; vetulam enim arbitrantur quæ butyrum ſit ſurreptura. Butyrum ſurreptum mox reſtitui opinantur, ſiquid è ſtramentis ſuper limen pendentibus auferant, & in ignem injiciant. Kalendis vero illis Maji, ramum arboris virentem ad ædes ſtatuere, lactis abundantiam per æſtatem tribuere credunt. Vt milvus non abripiat pullos gallinaceos, putamina ovorum ex quibus pulli ſunt excluſi, alicubi in tecto ſuſpendunt. Non fas eſt equi pedes tergere, aut corpus ſtrigili curare, aut gramen in ejus paſtum colligere die Sabbati, cum hæc celeberrimis aliis feſtivitatibus fiant. Si nunquam dent ignem è domo proximis, credunt equis longiorem vitam & ſanitatem dari. Si equorum poſſeſſores ova comedant, providere debent, ut paria ſint, alioqui periculum equis. Equiſonibus prohibentur ova. Equitibus etiam lex eſt poſt ova manus lavare. Mortuo equo, pedes cum tibiis in domo ſuſpendunt, imo ungulæ pro ſacris habentur. Laudare equum, aut aliud animal, nullo modo oportet, niſi dicas, Servet eum Deus, vel niſi in illum expuas. Si aliquid mali ad

triduum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

triduum equo accidat, laudatorẽ quærunt, ut orationemDominicam in dextram aurem inſuſurret. Credunt, quorundam oculos ſibi equos faſcinare; & tum adhibentur vetulæ quædam, quæ preculis tacite recitatis valetudini reſtituunt. Laborant equorum pedes vermiculo, qui ſenſim ſerpendo plurimos ſui generis procreat, & corpus corrumpit; contra hunc vermem advocatur maga, quę ad equum deducatur diebus Lunæ duobus, & uno Iovis; illa locum quo vermis inſidet, anhelitu fovet, & carmine recitato, equus convaleſcit. Hoc carmen precio dato multos edocent, adjurantes, ut nemini aperiant. Ad omnia mala incantationes efficaces habent (ut credunt) inter ſe fœminæ diviſas & diſtributas, ad quas quiſque pro mali ratione properat. Præponunt incantationibus ſemper, item ſubjungunt, Pater noſter, & Ave Maria. Vbi aliquis cecidit in terram, ſtatim exilit, & ter ſe in gyrum ad dextram vertit, gladio vel cultro terram fodit, & ceſpitem eruit, quem illi terrę umbram reddere dicunt; & ſi inter biduum vel triduum ęger fiat, mittitur ad eum locum mulier quæ in illo genere pollet, & ibi dicit, *Voco te N. ab oriente, occidente, ab auſtro & aquilone, à nemoribus, ſilvis,*

fluminibus, paludibus, à nymphis ſilveſtribus, albis, rufis, nigris, &c. & certas preculas ejaculatur; deinde domum ad ægrum rediens, ut probet, an ſit morbus ille qui dicitur Eſane, quem à nymphis immiſſum arbitrantur; & aliam preculam cum Pater noſter in aurem immurmurat: carbones quoſdam in poculum mittit aqua munda plenum, & certius judicat de morbo quam multi medici. Militia eorum conſtat ex equitibus triariis, quos Galegaſios appellant, qui ſecuribus utuntur acutiſſimis: & levioris armaturę peditibus; *Karni* dicuntur; qui jaculis amentatis & machæris dimicant. Cuivis pediti aut equiti exeunti è porta acclamare, auſpicatum habetur; cui non acclamatur, aliquid mali portendi credunt. In bello pro tuba tibia utricularis in uſu eſt. ligaturas portant, preculas recitant, & in congreſſu, Pharroh quam acerrime clamant, (Barritum illum militarem exiſtimo, de quo Ammianus,) cum hac perſuaſione, ut, qui re liquorum clamori non reſpondeat, e hoc accidat, ut accipiatur ſubito à terra, feraturque quaſi volans, ſemper poſtea hominum conſpectum fugiens, in vallem quandam in Kerrye, ut jam dixi.

Decum

Decumbenti aſſiſtentes nunquam de Deo, nec animæ ſalute, aut teſtamento condendo verba faciunt, ſed omnia in ſpem convaleſcendi: pro deplorato habent, ſi quis Euchariſtiam poſtulet. De teſtamento non laborant uxores, quod mos inolevit, trientem bonorum eis dari, reliqua in liberos diſtribui æquis portionibus, niſi quod in hæreditate adeunda plus poteſt qui plus valet. Qui enim potentiſſimus, ſive patruus, ſive nepos, in hæreditatem, excluſis filiis, ſæpiſſime involat. Moribundum aliquem, antequam fatis concedat, præficæ, in quadrivio ſtantes paſſis manibus, vocant quibuſdam clamoribus ad hoc aptatis, & animam eluctantem remorari conantur, commemoratis bonorum, conjugum, formæ, famæ, agnatorum, amicorum, equorum commoditatibus; interrogantque cur velit, quo, & ad quos recedere; cumque anima expoſtulant, quod ingrata ſit. Denique animam evolantem ad mulierculatum illarum de nocte & nigredine apparentium ſpeciem tranſire conqueruntur, & affirmant; egreſſam vero de corpore, ululatibus & palmarum comploſionibus lamentantur. Funus autem tantis vociferationib⁹ proſequuntur, ut vivos & defunctos con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

clamatos eſſe exiſtimes. In his planctibus vehementiſſimæ ſunt nutrices, filiæ, & concubinæ. Nec minori planctu in prælio interemptos, quam morbo ſublatos lugent; etſi hos levius periiſſe dicunt, qui præliando vel latrocinando occumbunt; adverſarios tamen omnibus conviciis proſcindunt, & odium capitale in omnes ejus cognationis diutiſſime fovent. Defunctorum animas in conſortium abire exiſtimant quorundam in illis locis illuſtrium, de quibus fabulas & cantilenas retinent: ut Gigantum, Fin Mac-Huyle, Oskir Mac-Oſshin: & tales ſæpe per illuſionem ſe videre dicunt.

Quod ad cibos; herbis libenter veſcuntur, præcipue naſturtiis & fungis, radicibus; ut non immerito Straboni dicti fuerint ποηφάγοι, id eſt, herbis veſcentes: butyro etiam cum farina avenaria commixto, lacte ſero, jure bubulino, carnibus ſæpe, ſine pane inprimis, gaudent: fruges, quas habent, in equorum pabulum, quos unice curant, reponunt. Fame premente crudam carnem ſanguine expreſſo devorare non dedignantur; ad quam concoquendam aqua vitæ plenis hauſtibus ſe ingurgitant. Vaccis etiam ſanguinem mittunt, quem coagulatum & butyro aſperſum

avide

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

avide comedunt. Capite plerumque nudo incedunt, niſi cum galeam induunt: capillitio lõgo, & quaſi crinium flagellis criſpatis, quibus nihil charius habent, carpi autem indigniſſime ferunt. Induſiis utuntur lineis, & illis quidem ampliſſimis, manicis largioribus, & ad genua uſque fluentibus, quæ croco inficere ſolebant. Tunicellas habent laneas, admodum breves; femoralia ſimpliciſſima & arctiſſima; ſuperinducunt autem lacernas ſive ſaga villoſa, (heteromallas Iſidorus vocare videtur,) limbo jubato & eleganter variegato, quibus noctu involuti ſuaviter humi dormiunt. Cujuſmodi etiam mulieres talari quam gerũt veſti ſuperinjiciunt; & multis, ut dixi, ſindonis ulnis per ſpiras caput, monilibus colla, armilliſque brachia onerant magis quam exornant. Hi ſunt ſylveſtrium Hibernicorum mores, ex authore noſtro. In reliquis pleriſque omnibus, qui Anglicam, quam dicunt, provinciam incolunt, nihil abeſt quod in cultu & humanitate requiratur, Anglorumque victoriæ hoc debent; pluraque univerſa inſula deberet, ſi modo in ſano quodam & pervicaci patrii ritus amore & aures & animos meliori culturæ non occluſiſſet. In patriis enim ritibus Hibernici

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

adeo ſunt pertinaces, ut non ſolum dimoveri non poſſint, ſed Anglos etiam facile ad ſuos mores pertrahant; ut vix credibile ſit, quam brevi tempore degenerent. *Hactenus Camdenus.*

Ex Richardo Stanihurſto Dublinienſi.

OBſervare diligenter oportebit, Hiberniam in duas partes diſtributam eſſe; in Anglicam, & Hibernicam: hanc Germani, & genuini Hiberni, illam Anglorum progenies incolit: eaque portio, plebeio ſermone, Anglica provincia nominatur, quod ſit Anglorum territoriis, quaſi palis & ſeptis, circumſeſſa. Etenim poſteaquam homines Britannici Dermicium, exactum regem, Hibernis hoſtibus armis caſtriſque oppreſſis, in patriam, atque adeo in regnum reſtituerunt, (quibus de rebus agemus tum cum ad ſecundum librum pervenerimus,) Britannici victores ſedem ſtabilem & domicilia certa in lectis Hiberniæ locis habuerunt. Deinde cum inter ſe & domitos Hibernos quædam quaſi inſulæ divortia feciſſent; tum illam partem, in qua coloniam collocarunt, Anglicam provinciam appellaverunt.

Qui in ea habitant, ab Hibernis victu,

cultu,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

cultu, & ſermone differunt. Nam à priſtinis Anglorum moribus ne tranſverſum quidem unguem diſcedunt. Anglice item naturaliter loquuntur. Nullo alio cottidiano ſermone animi ſenſa exprimunt.

Feminæ non admodum delicate loquuntur. Ruſtici ſatis vaſte ac hiulce (quod ipſum in aliis regionibus fit) ſermocinantur.

Anglo-Hiberni adeo ſunt ab antiquis iſtis Hibernicis diſſociati, ut colonorum omnium ultimus, qui in Anglica Provincia habitat, filiam ſuam vel nobiliſſimo Hibernicorum principi in matrimonium non daret. Hæc autem domeſtica connubia inter ſe ea diuturnitate conjunxerunt; ut unus alterum jam nunc ſanguinis communione vel affinitate plerumq; tangat. Atque hoc idem in omnibus illis urbibus & opidis (de quibus ante ſcripſi) obſervatur. Cives & municipales more inſtitutoque Anglorum vivunt; auctoritate nutuque Britannicarum legum rempublicam adminiſtrant; Anglice etiam ac Hibernice loquuntur, propter cottidiana commercia, quæ cum vicinis Hibernis habent.

At de Anglicæ provincię habitatoribus ſatis explicatum arbitror; reliquum

eſt, ut de Hibernicorum moribus atque cõſuetudine nonnihil exponam. Vehemens quędam & pervagata opinio per animos multorum pervadere ſolet, Hibernicos iſtos, ad quos jam orationem convertimus, omnem humanitatem abjicere, fuſos per denſiſſimas ſilvas ac diſperſos vagari, deniq; ferina quadam immanitate effrænatos vitam horridam incultamque vivere. Sed qui illos his conviciis infamant, à mendacio contra verum perſpicue ſtant. Quamquam enim ab Anglicæ provinciæ urbanitate & lautitia utcumque abhorrent; non tamen omni ab humanitate, ſicut fertur, exuti, vitam traducunt.

Hic igitur conſiderandum eſt, inter hos Hibernicos eſſe primarios tyrannos, quorum imperio plures tenentur. Horum nomina à quarta fere vocali exordium ſumunt, ut, verbi cauſſa, O-Nelus, O-Carolus, O-Rorcius, O-Morus, O-Connorus. Item iſti tyranni inferioris ordinis præfectos domitos & ſubjectos habent, qui cum magno evocatorum numero parati ſunt, quoties eorum princeps ſignum ſuſtollit, ad bellum exire; eique, quibus poſſunt, viribus & lacertis opitulari. Quod ſi officium, vel indiligentia, vel perfidia, præteritum ſit, (nam ad tale militare obſequium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

quium in illius fundis ſeu ditione vivunt, quandoquidem nullum aliud ſtipendiarium vectigal illis imponitur,) ſolet princeps illos ad arma compellere; vel ſi eos perpugnaces aut refractariolos inveniat, manum ſibi & copias comparat, ſigna adverſantibus intendit, eos à propriis ſedibus exterminat, bonis omnibus evertit.

Hi igitur principes (ſemper excipio O-Nelum, qui in Vltonia dominatur. nam is, quoniam eſt gravis adverſarius Britannici imperii, in fænicularis campis ſtativa plerumque habet) caſtella poſſident, munitione ac mole lapidum fortiter exſtructa; cum quibus aulę ſatis magnę & amplæ, ex argilla & luto fictę factęque, vicina adhęſione copulantur. Non ſunt ſartæ tectæ aut ſaxorum laminis è lapidicina erutis, aut cæmentis, aut tegulis, ſed agrariis culmis utplurimum conteguntur. In iſtis aulis epulari ſolent: raro tamen ſomnium, niſi in caſtellis, capiunt: quoniam aularum integumentis hoſtes poſſunt ardentes faces, aëris flabello ventilatas, facillime admovere; quandoquidē iſta materies ignem perceleriter concipit. In primis autem caſtellano præſidio ſe tuentur, ne illis quieſcentibus nocturna vis inferatur. Quare, ut tale quiddam incommodi

modi de nocte non accidat, habent in caſtelli vertice, tamquam in ſpecula, excubias, quæ ſæpiſſime vociferant, & in frequentibus clamoribus maiorem partem noctis vigilant.

Habent item areas magnis aggeribus & foſſis circumdatas, dumetis ac virgultis circumſeptas. In has, quoties anguſtiis urgentur, armenta detrudunt; uti melius à graſſatorum incurſionibus & à rapacium furtis, obvallata incluſione vindicentur. Non igitur, ut multi averſi à vero opinantur, iſti, neſcio per quos ſilveſtres anfractus & paludes, vagantur; ſed prædia & domicilia certa habent, quæ maxima cottidie hoſpitum frequentia celebrantur. Sunt ſane homines hoſpitaliſſimi, neque illis ulla in re magis gratificari potes, quam vel ſponte ac voluntate eorum domos frequentare, vel illis invitatum condicere. Prandere ſolent, hieme, antelucanis horis; æſtate, circa horam ſeptimam. Poſt, ſi ulla militiæ vacatio illis ab hoſtibus detur, cum ſatellitibus in campis, otiandi cauſſa, ſpatiantur; aut ad montana conventicula iter arripiunt. Nam ſtato die frequens hominum concurſus fit ex tota vicinitate ad certum locum, qui cum editus & prçcelſus ſit, unus eminet inter cæteros.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Ibi unusquisque de injuriis ſibi illatis queribunda voce conqueritur. Tales autem injuriæ, clandeſtinis furtis, frequentiſſime inferuntur. Etſi ipſi dynaſtæ tam abjecto ac imbecillo animo eſſe nolunt, nocturna incurſione latrocinari: tamen infimæ conditionis furunculi, ſubceſſivis noctibus, in omni genere furandi verſantur, & dominorum ædes furtorum receptrices habẽt. Quod ſi ipſi proceres à quoquam, capitali odio, diſſideant, noctem ad prædas non adjungunt, ſed exercitum ex ſicariis, excurſionibus, & ſervitio conficiunt, atque de inimicis ac ejus provinciæ bonis, omni totius territorii pecore compulſo, luce palam prædantur, niſi alter, ad arma vocatus, paratus ſit ſuas rapinarum miniſtris vires opponere, atque prædonum impetum pugnaciſſime propulſare.

Sed ut ad privata illa damna rurſus accedamus; qui incommodo adficiuntur, acceptæ injuriæ querelam ad coronam deferunt. Et petitor eum ſæpius nomine appellat, quem in crimen vocat. Habent indagatores, qui mercedula adducti, ſolertiſſime furta perſequuntur, veſtigiis pecudum vel pulverulentis vel luteis diligentiſſime inſiſtunt, &, ſi fures à tritis ac indagatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

viis ad extraordinarias ſemitas declinent, facilius multo perveſtigari poſſunt. Sed qui reus eſt, ſeu eum falſo inſimules, ſeu vere accuſes, nulla alia juris formula, præter ſceleris inficiationem, ſe defendit. Quæcunque illi crimini dantur, ad omnia reſpondet: NEGO HOC. Quod ſi accuſator, certiſſimis criminibus fretus, prius oculis, quam conjectura, furta non deprehendat, ſed quadam tantum probabilitate ducatur ad ſuſpicandum, operam & oleum perdit.

Si quis ſignis luce meridiana clarioribus convincat, reum manifeſtiſſimo in furto teneri; aut reddendum, aut multa penſandum eſt, quod commiſit. Vtuntur, ad tales lites æſtimandas, quibuſdam arbitris, quos illi BREHONIOS appellant. Iſti ſunt ex una familia proſeminati: intelligentiam juris Britannici non habent, civilis etiam ac pontificalis imperitiſſimi. Retinent ſolummodo domeſtica quędam pſephiſmata, uſu & diuturnitate corroborata, quorum animadverſione artem aliquam, ex rebus fictis commentitiiſque conflatam, pepererunt: quam nullo modo divulgari patiuntur, ſed ſibimet ipſis, veluti abſtruſa atque abdita myſteria, à communi hominum ſenſu remotiſſima,

eam

eam reſervant. Atq; ob vanam hanc reconditę cognitionis opinionem eorum nomen ab imperita plebecula (quæ citius ficta oſtentatione, quam vera ſimplicitate capitur) valde celebratur.

Vbi igitur, poſt longam litigationem, ſolem præcipitantem vident, domum redeunt: & ut quiſque eſt fortuna ac auctoritate florens, ita hoſpitum numerum ad cœnam invitat. Cœnitant magnifice & opipare. Nam licet delicatis artolaganis minime abundet, nec etiam illa urbana in epulis lautitia adhibeatur; menſas tamen habent bove, porco, & aliis cibariis, prout temporum obſervatio exigit, cumulatiſſime inſtructas.

Nonnulli dictitant, illos crudis carnibus veſci; quod contra eſt ac dicunt: tametſi non admodum coctis, nec plus ſatis aſſis delectantur, tamen cruditate magis ſæpe nauſeant. Vtuntur, pro panchreſto medicamine, ignito quodam vino, nullo alio liquore permixto, quod communiter aqua vitæ dicitur, cujus ardore cibus facilior ad concoquendum redditur. Hoc potionis genus intimo artificio inſtillant: adeo, ut flammula admota, totum, quaſi bellicus pulvis, raptim igneſcat.

In epulis accumbunt, lectulis poſitis.

primus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

primus in menſa locus tribuitur matrifamilias, talari tunica, & ſæpe crocota, bene manicata, amictæ: mirum inter utrumque conjugem, inſpectante populo, ſilentium: ſola eorum familiaritas cubicularis. Inter cœnandum adeſt citharista, oculis ſæpe captus, muſicis minime eruditus, qui chordarum pulſu (ſunt autem ex ferreis aut æneis filis, non ex nervis, ut alibi fit, contextæ) animos accumbentium relaxat. Non plectro aliquo, ſed aduncis unguibus ſonum elicit. Atque licet in muſicis neque numeros expleat, neque modum aut ſonorum accentum obſervet, (ſiquidem teretes ſcientis aures, perinde ac ſerræ ſtridor, facile offendit, ita omni ordini obſtrepit,) tamen vulgus hominum rudi eius harmonia unice delectatur.

Vtuntur etiam Hibernici, loco tubæ, lignea quadam fiſtula, callidiſſimo artificio fabricata: cui ſaccus, ex corio compoſitus, & cingulis arctiſſime cõplicatus, adhæreſcit. Ex pellis latere dimanat fiſtula, per quam, quaſi per tubum, fiſtulator, inflato collo, & buccis fluentibus, inflat. Tum pellicula aëre farcta, turgeſcit: intumeſcẽtem rurſus premit brachio. Hac impreſſione duo alia excavata ligna, brevius ſcilicet ac longius

ſonum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ſonum emittunt grandem & acutum. Adeſt item quarta fiſtula, diſtinctis locis perforata, quam buccinator ita articulorum volubilitate, qua claudēdo, qua aperiendo foramina, moderatur, ut ex ſuperioribus fiſtulis ſonitum ſeu grandem, ſeu remiſſum, quemadmodum ei viſum erit, facile eliciat.

At vero quoniam huc declinavit oratio, non multum extra rem erit, eorum in præliis ordinem, & mores breviter attingere. Primus ordo eſt equeſtris. Sed Hibernici equites ab aliarum gentium conſuetudine multum diſſident. Nam haſtas bene ponderoſas circa medium manibus prehendunt, non ad latera ſua, infra brachium, apponēdo, ſed ſupra capita lacertis viribuſque vibrando. Habent etiam excellentes equos, & dociles; quib⁹ in hoſtium manum multitudinemque ſe committunt; aut corporum declinatione, eorum impetum, ſi certamen non ſit ęquum, vitant. Totum iſtud abſq; magno equitis labore fit, etiamſi laxiſſimas habenas habeat. Nihil enim Hibernicis equis eſt tractabilius. Nunquā petaſati in equis hęrent: verum ita alte, in unaquavis lutulenta via, ſuras attollunt, & ita placide, ſine ullo ſuccuſſu, equitant, ut caligas cæno atq; ſordibus nullo modo prorſus obli-

nant. Ad hęc, ferreis ſcalis (quæ à nonnullis ſtapides dicuntur) in equos minime aſcendunt: neque hujuſmodi nugatoria (ſic iſtorum opinio fert) adminicula phaleris adhæreſcere permittũt. Sed eas jubarum ſetas, quæ frontibus imminent, aut equorum auriculas, ſiniſtra apprehendunt; atque dum equi obſtipis capitibus quiete inclinãt, (nam ad talem facilitatem, ut eſt eorum docilitas, à domitoribus finguntur,) equites, etiam loricis aut ſagis amicti, mira corporis agilitate ſe efferunt, divaricatiſque cruribus, ephippia clitellis non diſſimilia, ſubito occupant.

Proximus eſt equitibus ordo pedeſtris, qui conſtat ex quodam genere ſagatorum militum, quos iſti galeglaſios appellant. Homines ſunt magnæ ſtaturæ, præter communem morem corporati, fortes, buſtuarii, ſanguinarii tori, ac minime propitii milites. Humanum apud illos nihil tam eſt, quam odium humanitatis. Habent tela pedalia, ſecuribus ſimilia, & gemina, cultris tonſoriis pæne acutiora, longiuſculis haſtilibus adfixa, quibus plagam gravem faciunt ubi feriunt. Prius vero quam aliquis in eorum collegium cooptatur, magna religione jurat, quoties in aciem dimicationemque venit, nunquam

quam tergiverſari: tametſi iſte mos magis magiſque antiquari incipiat. In omni acri ac acerbo prælio, ſi ad manus veniatur, aut cito illi pereunt, aut cito perimunt.

Tertius ordo comprehendit alios etiam pedites, ac levis armaturæ machærophoros: ab Hibernicis Karni dicuntur. Iſti quidem haſtas amentatas totis viribuſq; adeo viriliter torquent, ut eas, inſtar circuli, in orbiculatum gyrum compelli exiſtimares. Cetris aut manicis ferreis armati pugnant. Non admodum ponderoſo veſtitu tecti incedunt. Haſtilium ſpiculis equites vel equos eminus ſauciant; cominus, diſtrictis gladiis, certamen ineunt. Inſignes ſunt lapidatores: armis palæſtricæ uti omnino neſciunt: nec in ludicra gladiatorum arte ſunt exercitati. Raro hoſtes, pungendo, effodiunt; ictibus crebrius vulnerant. Enſes acuti & minime ſcabri, mirabiliter illis in amoribus ſunt: & ne in æruginem incidant, neve eorum acies hebeſcat, omni diligentia curant.

Ferrearum uſus fiſtularum jam tandem apud eos increbuit.

Si quem iſti occidant, ſemper ad ſtratum cadaver nova vulnera addunt. Nam unuſquiſque interfecti ſanguine,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ne forte reviviſcat, gladium cruentat. Neque ulla cæde occiſum putant, quoadusque gladiatoriis ictibus caput abſciſſum vident.

Vltimus omnium ordo curſorũ numero concluditur, quos Hiberni Daltinos, nos Latine ſcurras velites ſeu ſervos à pedibus nominare poſſumus. Iſti inermes incedunt; miniſtros ſe præbent equitibus; ſparos etiam amentatos vibrant: phaleras ſordibus maculatas mundant. Equos, in præſepibus, dentata ſtrigili diligentiſſime refricant, & pexis fetis nitidos reddunt.

Totus autem, tam equitatus, quam peditatus, quoties ad manus & pugnam venitur, alta voce, PHARRO, PHARRO, inclamat.

Qui ex acie invulnerati diſcedunt, ſaucios commilitones domum autophoro portant. Tum præſto ſunt empirici, qui herbulis vulneri applicatis ægritudinem abſtergere conantur. Iſti, ut etiam pragmatici, in aliquo eſſe numero volunt: cum tamen plane indocti & omnino omnis chirurgiæ expertes ſint. Habent ſuas ſimiliter familias; hæreditate, non eruditione medici evadunt.

Lectitant tamen, qui inter eos lectitare ſciunt, pervetuſtas & fumoſas mem-

membranulas, multis lituris interpunctas, Hibernice ſcriptas, quas in ore & in amore mirifice habent.

Iam vero ſi quis inter Hibernicos, præſertim ſummo loco natus, à vita diſcedat, incredibile eſt, quanto & quam fœmineo fletu omnia loca circumſonare ſoleant. Atque ut lugubrem lamentationem, rationis temperamento modificatam, magnopere non reprehendam; tamen perverſum anicularum morem non poſſum non liberius accuſare. Nam ut primum unus ex his, qui in honoribus populi verſantur, halitum extremum efflat, videre licet, complures mulieres per vicos & campos curſare, lupino ululantique clamore omnium aures obtundere. At vero ubi templum, in quo mortuo parentatur, ingrediuntur, quanto ejulatu ſacram complent ædem, non facile dixerim. Buccis inflatis exclamant, perquam flebiliter voces eliciunt, redimicula ponunt, capita nudant, crines lacerant, frontem feriunt, latera intendunt, palmas dilatant, manus in cœlum extollunt, mortuorum ciſtas verſant, operimenta diloricant, cadaver amplexantur, oſcula infigunt, mortuum humari vix permittunt.

Hactenus de Hibernicorum inſtitutis diſtri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

diſtributius, ni fallor, eſt explicatum; pauca etiam generatim adjungam. Sunt, ut ſupra commemoravi, perhoſpitales, prolixa benificaque natura; in laboribus ex omni hominum genere patientiſſimi; omnium bellicoſiſſimi; in rerum anguſtiis raro fracti. Nutrices, ad extremum vitæ ſpatium, in loco parentum habent. Earum natos, quos vocant collactaneos, magis ex animo quam germanos fratres amant. Singula illis credunt, in eorum ſpe requieſcunt; omnium conſiliorum ſunt maxime conſcii. Collactanei etiam eos fideliſſime & amantiſſime obſervant. Nihil perfidioſum & inſidioſum, nihil fallax in illis invenies: quin etiam parati ſunt offerre capita ſua pro lacteorum fratrum, ut appellant, ſalute, periculis omnibus.

Hibernici etiam, magna ex parte, ſunt religionis ſumme colentes.

Sacerdotes apud illos magnam obtinent dignitatem: quorum ſalutari admonitione (ut eſt hominum genus tenerum & flexibile) auditorum conſcientiæ facillime mordentur.

Atque hæc quidem è Stanihurſto, qui anno CIↃ IↃ LXXXIV *libros ſuos edidit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

III.

REGNI HIBERNIÆ ADminiſtratio. *Ex Camdeno.*

EX Regulorum Hiberniæ ſimultatibus & pravis æmulationibus Henricus ſecundus Rex Anglorum occaſione arrepta, ſerio agitavit anno ſalutis CIↃCLV cum proceribus Angliæ, de Hibernia expugnanda in uſum fratris ſui Guilielmi Andegavenſis; ſed ex conſilio matris ejus Matildis Imperatricis, res in aliud tempus dilata. Nec multis interjectis annis Dermicius Murchardi filius, (Dermot Mac-Morrog illi vocant) qui orientali Hiberniæ parti (quam vulgo Leinſter dicunt) cum imperio præfuit, ob tyrannidem & libidinem regno exturbatus, (O-Roricy enim Midiæ reguli uxorem rapuerat) ab Anglorum Rege Henrico ſecundo, ut auxiliaribus armis in regnum reſtitueretur, impetravit. Pactuſque eſt cum Richardo Comite Penbrochiæ, cognomento Stronghbovve, ex Clarenſium familia oriundo, ut ad eum reſtituendum auxilium ferret, & ille Comiti cum Eva filia regni ſucceſſionem confirmaret. Comes vero ſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

tim conſcripta ex Anglis & VVallis lectiſſima militum manu, & adſcitis in belli ſocietatem Giraldidis ſive Fritz-Girals, Stephanide ſive Fritz-Stephans, & aliis ex Anglia Nobilibus, Dermicum ſocerum in avitum regnum reſtituit, & paucis annis tantam Hiberniæ partem victoria complexus eſt, ut ejus potentia Anglorum Regi jam ſuſpecta fuerit; qui promulgato edicto cum gravi comminatione, Comitem & commilitones ex Hibernia revocavit, & niſi nulla interpoſita mora parerent, publicatis bonis, proſcripſit. Vnde Comes, quicquid vel uxorio jure crevit vel bello acquiſivit, Regi pacto & tabulis conceſſit, & ab eo Comitatus VVeisfordiæ, Oſſoriæ, Carterlogiæ, & Kildariæ, cum quibuſdam caſtris, tanquam beneficiarius cliens, recepit. Coactis ergo copiis, transmiſit in Hiberniam Henricus II anno Chriſti cIↄ Iↄ LXXII, & inſulæ principatum obtinuit. Omne enim imperium ſuum & poteſtatem in illum transtulerunt Hiberniæ Ordines, Rothericus O-Conor Dun, id eſt, Fuſcus, Hiberniæ Monarcha; Dermot Mac-Carly Rex Corcagij, Donald O-Bren Rex Limirici, O-Carel Rex V-rielæ, Mac-Shaglin Rex Ophaliæ, O-

Rorck

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Rorck Rex Midiæ, O-Neal Rex Vltoniæ, proceresque reliqui & populus ipſorum, chartis ſubſignatis traditis, & Romam tranſmiſſis. Acceſſit etiam Hadriani P. diploma, & in inveſtituræ ſignum annulus, nec non Synodorum quarundam provincialium authoritas. Ille poſtea Ioanni filio Hiberniæ dominium in manus tradidit. Quod Vrbanus P. bulla confirmavit, & in confirmationis argumentum, coronam de pavonis pennis auro contextam miſit. Iam inde ab hoc Ioanne, Anglorum Reges, Hiberniæ domini dicti fuerunt, donec Henricus octavus, patrum memoria, in Hibernicis comitiis Hiberniæ Rex ab inſulæ Ordinibus declaratus fuit, quod quibuſdam ſeditioſis Domini nomen, non perinde ac Regis, ſanctum & verendum videretur. Hoc autem Regni Hiberniæ nomen & titulus pontificia authoritate confirmata fuerunt, cum Maria Regina ann. cIɔ Iɔ LV Regni Angliæ nomine obedientiam per Legatos Regios Pontifici Paulo IV detuliſſet.

Ex quo Hibernia Anglici juris facta eſt, Reges Angliæ eo Proreges ad Rempublicam gerendam tranſmiſerunt, quos primum Cuſtodes Hiberniæ, deinde pro arbitrio, Hiberniæ Iuſtitiarios,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

rios, Locum tenentes, & Deputatos vocarunt in codicillis, ſive litteris patentibus, quibus illis authoritas & juriſdictio mandatur. Quæ ſane ampla & regia; videlicet, bella gerendi, pacem componendi, magiſtratus & munia omnia, præter paucula, conferendi; crimina, præterquam quædam læſæ Majeſtatis, remittendi, Equites auratos creandi, &c. Hæ litteræ patentes, cum Magiſtratum quis init, publice prælegunter, & juramento coram Regni Cancellario, concepta verborum formula, præſtito, gladius, qui præferatur, in manus traditur, in ſolio locatur, aſtantibus Regni Cancellario, qui ſunt à ſacro conſilio, regnique Proceribus, cum rege armorum, ſerviente ad arma, & aliis honorariis adminiſtris. Nec alius ſane eſt in toto orbe Chriſtiano Prorex, qui propius ad Regiam Majeſtatem, ſive juriſdictionem ſive authoritatem, comitatum & apparatum ſpectes, accedat. Illi in conſilio adſunt Regni Cancellarius, Theſaurarius, & alii ex Comitibus, Epiſcopis, Baronibus, & Iudicibus qui ſunt à ſanctiori conſilio. Nam eoſdem plane ordines habet Hibernia, quos Anglia, ſcilicet Comites, Barones, Equites auratos, Armigeros, &c.

Fora

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Fora & Tribunalia Hiberniæ.

Summum Regni Hiberniæ forum eſt Parlamentum, quod pro Regis Angliæ arbitrio à Prorege indicitur & diſſolvitur; etſi regnante Edvvardo II ſancitum erat, ut ſingulis annis Parlamenta in terra Hiberniæ tenerentur. Iuridici etiam conventus quatuor, ut in Anglia, quotannis habentur, & quinque ſunt Tribunalia; videlicet, Camera Stellata, Cancellaria, Bancus Regius, Bancus communium placitorum, Scaccarum ſive fiſcus Regius. Sunt etiam Iuſtitiarii aſſiſarum, Niſi prius, ad audiendum & determinandum, prout in Anglia; & Irenarchæ in ſingulis Comitatibus, ad pacem conſervandam. Rex etiam habet ſuum ad legem ſervientem procuratorem ſive Attornatum generalem, & ſollicitatorem.

Sunt etiam in Provinciis remotioribus ad jus dicendum Gubernatores, ut qui in Connachthia primarius Commiſſarius, in Momonia Præſes dicitur, qui ſuos habent adſeſſores è nobilibus & juriſperitis, qui tamen ſinguli Proregis nutum reſpiciunt.

Legibus vero iiſdem Communibus ſive municipalibus, quibus utitur Anglia, adminiſtratur Hibernia. Legimus

mus enim in ſacris Regni ſcriniis. *Rex Henricus tertius anno Regni* XII *mandavit Iuſtitiario ſuo Hiberniæ, ut convocatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Baronibus & Militibus, ibidem coram iis legi faciat chartam Regis Ioannis, quam legi fecit & jurari à Magnatibus Hiberniæ, de legibus & conſuetudinibus Angliæ obſervandis, & quod leges illas teneant & obſervent.* Parlamentariæ etiam ſive ſtatutorum, ut vocant, Angliæ leges, uſque ad Henrici VII tempora in uſu erant. Anno enim regni ejus x illæ ſtabilitæ & confirmatæ erant authoritate parlamentaria in Hibernia: ſed jam inde ſua habuerunt ſtatuta parlamentaria.

Præter Civiles hos magiſtratus, militarem habent etiam unum, ſcilicet Mareſcallum, qui admodum hic uſui eſt, tam ad militum, quam ad rebellium, qui ſubinde negotium faceſſunt, inſolentiam coërcendam. Hoc munus Barones *Morley* ex Anglia olim, ut ex actis publicis conſtat, hæreditario geſſerunt. Rex enim Ioannes hoc munus hæreditario jure tenendum his ipſiſſimis verbis dedit: *Iohanni Mareſcallo dedimus & conceſſimus pro homagio & ſervitio ſuo Mareſcalſiam noſtram totius Hiberniæ cum omnibus pertinentiis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

tiis. Dedimus & ei pro homagio & ſervitio ſuo Cantredum, in quo ſita eſt villa de Kilbunny, habenda ſibi & hæredibus ſuis de nobis & hæredibus noſtris. A quo ad Barones de Morley recta ſerie deſcendit. Mareſcallus autem ſuum habet Submareſcallum, (Provoſt Mareſcall vocant) & aliquando plures, pro rerum & temporum difficultate, qui ſuam circumſcriptam ſub magno Hiberniæ ſigillo cum inſtructionibus exercent authoritatem.

Ratio autem juris adminiſtrandi inter mere Hibernicos hæc fere eſt.

Magnates, quorum nominibus quarta vocalis ob eminentiam & excellentiam præponitur, ut O-Neal, O-Rorck, O-Donell, &c. & cæteri qui Mac præfixum gerunt, jus ſuum habent peculiare, quo ſuperbiſſimo vivunt dominatu; & in ſubditorum fortunas tributis, exactionibus, penſitationibus, militeſque Gallogaſſios, ſcilicet Kearnos, & Equites, quos alant, illis imponendo, ita pro libitu graſſantur, ut longe miſerrima ſit ſubditorum conditio, & quoties bella inteſtina inter illos ingruunt, ſucco & ſanguine exhauriantur.

Habent hi Magnates ſuos Iuridicos, quos, ut Gothi ſuos Bellaginos dixerunt,

runt,

runt, Breahans vocant, qui, indoctiſſimum hominum genus, ſtatis quibuſdam diebus, edito aliquo & præcelſo colle, inter litigantes jus dicunt vicinis. Coram quibus actores queribunda voce injurias illatas conqueruntur; rei, inficiatione negant; ſi manifeſto in furto teneantur, aut reddendum aut mulcta penſandum pronunciant. Habent etiam hi Magnates ſuos Hiſtoricos, qui res geſtas deſcribunt, Medicos, Poëtas, quos Bardos vocant, & Citharœdos: quibus ſingulis ſua prædia aſſignata ſunt: & ſinguli ſunt in unoquoque territorio è certis & ſingulis familiis; ſcilicet Breahani unius ſtirpis & nominis, Hiſtorici alterius, & ſic de cæteris, qui ſuos liberos ſive cognatos in ſua quilibet arte erudiunt, & ſemper ſucceſſores habent. Ius vero hæreditarium ſucceſſionis apud hos magnates nõ obſervatur, ſed qui ex præcipua aliqua familia viribus, clientelis & audacia potentior, dominatum quadam provincialium factione aut electione ſibi arripit, demortui filiis, nepotibus & ſanguine proximis omnino excluſis: & barbaris ceremoniis, in ſolio ſaxeo, ſub dio, certo aliquo monticulo collocatur: quo etiam tempore lege quadam (Taniſtrii dicunt) ſucceſſor etiam aliquando deſignatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ſignatur, qui Taniſt nuncupatur; neſcio an à Danis vocabulo mutuato, apud quos, ut apud ſeptentrionales Britanniæ incolas, Thane, pro viro nobili & Regis miniſtro, diu fuit in uſu.

IV.

DE HIBERNIÆ COMMERciis & Regni reditibus.

PAſcuorum & lætiſſimi graminis abundantia fit, ut Hiberni tauris vacciſque ſupra modum abundent, & commercio, licet admodum mediocri, cum vicinis nationibus tergora armentorum ſuorum permutent: verũ cum animalia hæc ut plurimum puſilliora ſint, etiam tergora minoris precii eſſe neceſſe eſt.

Eſt & ovilli pecoris in Hibernia ingens copia, quod bis quotannis tondere conſueverunt. verum lana craſſior & villoſior eſt, & legibus extra Regnum transferri prohibetur, ut tenuiores in filis ducendis panniſque texendis utiliter occupari & victum ſibi ſuiſq; comparare poſſint; ſiquidem hic ut plurimum texuntur panni villoſi & rudes (quos vulgo rugs vocant) & palliaoris villoſis (quæ tam viros quam fœ-

minas

minas ceteris veſtibus ſuis ſuperinjicere, (ſupra diximus) quæ magno numero in vicinas regiones deportantur, commercio haud vulgari.

Et lino abundat Hibernia, quod in fila ducunt indigenæ, & magna copia ad alias nationes transferunt. Olim quoque magnam lineorum pannorum vim texere ſolebant, cujus ipſi maximam partem intra regnum conſumebant, quippe qui triginta & plures ulnas in ſingulis induſiis adhiberent, in varias ſpiras contortis & aſtrictis, quæ croco infecta, non ante deponebant, quam penitus detrita.

De equis ipſorum, qui hobbyes appellantur, jam ante diximus. quos in Angliam traducere ſolent: verum bellicis exercitiis inidonei ſunt, & qui in Hibernia uliginoſo & molli ſolo aſſueverunt, alibi quantocius claudicant & plane inutiles redduntur. Et accipitres Hiberniæ, quos Goſſ. Havvks vocant, magni fiunt ab Anglis, & ſumma cura magniſque impendiis conquiruntur.

Hibernia quoque præſtantiſſimum marmor generat juxta Dublinium, Kilkenny, & Corcagium; neque dubium eſt, quin & variorum metallorum fœta ſit regio, modo venæ ejus luſtrarentur: ſed ea eſt gentis pigritia, ut laborem

borem opprobrio pene ducat, ea pauperies, ut ſumtibus ferendis impares ſint, ut hactenus nihil in hac parte tentatum ſit; quibus accedit, quod prudentiores è re Regni eſſe exiſtiment, indigenas pauperiores eſſe, cum divitiæ rebellionibus, quibus hæc natio per ſe nimium addicta, facile incitamentum & fomentum ſint ſubminiſtraturæ.

Eadem & amœniſſima flumina, tutos & opportuniſſimos portus habet, lacuſq; piſcoſiſſimos: mariaque omnia piſcium copia ſcatent: ſed ea eſt gentis ſegnities, ut neq; lucri ſpe, neque legum pene authoritate ad piſcaturã exercendam adigi poſſint: unde fit, ut hoc emolumentum à Scotis, Anglis, aliiſque haud inviti ſibi præripi patiantur: alioqui ſi ea eſſet gentis laboris patientia, quæ induſtria, maximo emolumento piſces & muria conditos & ad ventum fumumve induratos, in provincias longinquiores traducere utique poſſent.

Cum alta pace gaudet Hibernia, frumenti copia ſupra modũ abundat, ita ut non modo ſibi ipſi, ſed & vicinis ſufficiat; verum extra regnum alio transferre non licet, niſi venia impetrata, & rationibus ante bene ſubductis; ne ſi rebellio aliqua ingruat, quæ fere nunquam non metuitur, neceſſarii com-

meatus indigenis pacatis & copiis militaribus deſint.

Sylvoſa cum regio ſit in pleriſque partibus, magnam ligni cædui copiam ſubminiſtrat: unde & ingentem multitudinem doliariorum aſſerum in vicinas regiones emittunt; & materiem aliam ad naves fabricandas.

Majora navigia, præſertim bellica, Hibernis fabricare non licet. habent tamen multa mercibus deducendis idonea, & adverſus piratas leviter armata, quibus in Franciam atque Hiſpaniam navigare ſolent. maritimarum autem rerum ſatis imperiti ſunt, innata potius ſocordia, quam alio induſtriæ aut ingenii defectu.

Atque hæc quidem de Hibernorum commerciis dicta ſunto, è quibus quid de reditibus regni judicandum ſit, conjectura haud admodum difficilis. nihil enim certi de iis hactenus expiſcari potui. hoc tamen certiſſimum eſt, qualeſcunque hactenus fuerint, neque pacis tempore miniſtris regiis aliiſque regni ſumtibus ordinariis ſufficere neque vel exiguum fructum inde ad Regis Angliæ ærarium accedere: bello autem flagrante, ſupra quam credi poſſit, Angliæ damnoſam eſſe Hiberniam.

Porro

Porro Comitatus ſingulos annua tributa CoronæAngliæ pependiſſe jam à multis annis certiſſimum eſt. nam in conditionibus quæ Comiti Tyr-oen ſunt præſcriptæ, cum in gratiam à Regina reciperetur, additur, Comitatum illius eadem tributa Coronæ Angliæ perſoluturum, quæ Connachthia jamdudum pendebat. Et cum de O Donelli aliorumque Rebellium agris, benemeritis de Corona Angliæ, concedendis ageretur, excipiuntur antiqua Coronæ Anglicanæ tributa.

Ampliſſimi itidem reditus fiſco acceſſerunt è rebellium bonis. Nam ut ſeculo noſtro propiora tantum attingam, quorum certior fama ad nos per venit: Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, Giraldo Comite Deſmoniæ extincto, qui in Reginam arma ſumſerat, & Pontificis Romani Gregorii duodecimi, Regiſque Hiſpaniæ copias in Hiberniam advocaverat, Comitatus ejus in Provinciam redactus eſt, & ex illius aliorumque rebellium ipſi confœderatorum bonis Coronæ Angliæ acceſſerunt quingenta ſeptuaginta quatuor millia ſexcenta & viginti octo jugera (Acres Angli vocant;) quorum pars aliqua dominis ſuis qui veniam impetrarant reſtituta;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

reliqua Anglis nobilibus conceſſa ſunt, certis reditibus in ſingulos annos fiſco reſervatis, quos ad bis mille ducentas ſexaginta ſex libras Sterlingenſes aſcendiſſe ſcribit Morriſonus Anglus. Itidem anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo è terris Hugonis Roe Mac-Mahoun reditus annuos octingentarum librarum Sterlingenſium ærario Reginæ acceſſiſſe idem Morriſonus auctor eſt. Neque dubium eſt quin in tam fœcundo rebellionum ſolo jam à multis annis plures ejuſmodi reditus Coronæ Angliæ fuerint acquiſiti.

Vt autem appareat quam damnoſa Hibernia fuerit Coronæ Angliæ, operæ precium viſum è Morriſono hic aſſcribere quam immenſi ſumtus ibidem facti fuerint ſuperioribus aliquot annis, quibus Comes Tyr-oen aliique perduelles Hiberniam non modo ſuis ſed & Hiſpanorum copiis infeſtarunt.

Anno itaque milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, ſumtus bellici aliique à Regina Angliæ in Hibernia facti aſcenderunt ad ducenta nonaginta novem millia librarum Sterlingenſium: quippe illo anno Regina ibidem aluit mille trecentos equites & ſedecim millia peditum, quæ copiæ novis ſupplementis ex Anglia miſſis auctæ ſun[t]

a[d]

ad viginti millia militum: qua tamen ſumma expenſarum non comprehenduntur ſumtus ſatis grandes in apparatus bellicos aliaque ejuſdem generis facti.

Anno milleſimo ſexconteſimo eidem ſumtus aſcenderunt ad ducenta ſeptuaginta ſex millia librarum Sterlingenſium, præter varias alias expenſas in apparatus bellicos, commeatum, aliaque ejuſdem generis.

Anno milleſimo ſexcenteſimo & uno, ad ducenta quinquaginta quinque millia librarum Sterlingenſium, præter extraordinarias expenſas, ut ſupra.

Anno cIɔ Iɔc II ad ducenta octuaginta tria millia librarum Sterlingenſium.

Anno cIɔ Iɔc III ad ducenta nonaginta millia librarum Sterlingenſium ad eundem modum.

Denique, idem Morriſonus univerſarum expenſarum in bellum Hibernicum ſummam ſubducens, à primo Octobris anni cIɔ Iɔ XCVIII ad exitum Martii anni cIɔ Iɔc III, eas ad myriadem unam centum nonaginta octo millia librarum earumdem aſcendiſſe teſtatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

V.

O-NEALI ET EORVM NOſtro tempore rebelliones, *compendio è Cam Ieno, & Morriſono.*

DE Nealo magno qui in Vltonia magna Hiberniæ parte ante Patricii adventum dominatus eſt, deque intermediis, quorum obſcurior fama, ut taceam: Hæc familia ab Anglorum in Hiberniam adventu pene latuit: tantum cum Eduardus Brus Scotus ſe Regem Hiberniæ profiteretur, Dovenaldus quidam O-Neal è latebris emerſit, & ſe, ad Romanum Pontificem datis literis, Vltoniæ Regem, & totius Hiberniæ hæreditario jure verum hæredem, ſcripſit. Sed tumultu illo ſedato, Rex ille novus diſparuit, poſterique rurſus delituerunt, donec Anglia ferali illo bello inter familias Regias, Lancaſtrenſem & Eboracenſem, deflagrante, Angli qui in Hibernia militarant, Vltonia relicta & O-Nealis in cuſtodiam dato, domum ad partium duces reverterentur. Tunc enim Henricus O-Neal, & filius illius Con-More, id eſt, magnus, Kildarienſium Comitum affinitate & potentia ſubnixi, caput altius erexe-

erexerunt, & acerbam in populum tyrannidem exercere, & inſolenti faſtidio, Principum, Ducum, Marchionum, &c. titulos prænomine O-Neal, contemnere cœperunt.

Con-More ſucceſſit filius Con, cognomento Bacco, id eſt, claudus. Hujus potentia cum Regi Henrico VIII ſuſpecta eſſet, Rexque ipſi, conculcata Kildarienſium familia, cujus rebellioni Conus ſe miſcuerat, formidabilis eſſet; ipſe in Angliam venit, & nomine O-Neal renunciato, Regi omnia ſua in manus tradidit, quæ mox diplomate ſub magno Angliæ ſigillo ut beneficiarius recepit, cum titulo Comitis Tirroen, ſibi & Matthæo filio falſo credito, & hæredibus. Shan, id eſt, Ioannes legitimus Coni filius, nothum ſibi prælatum non ferens, illum mox cum liberis, quod ad manum habere potuit, occidit; (Hugo enim & Cormacus Anglorum beneficio evaſerunt) patremq; ita exagitavit ut ex mœrore diſcederet. Statimque ipſe electus & acclamatus O-Neal paternam adiit hæreditatem, & importunam in Vltoniæ proceres tyrannidem cœpit exercere. Cumque Henricus Sidneius tunc Iuſtitiarius Hiberniæ de hiſce injuriis cum ipſo expoſtularet; Reſpondit ſe legitimum Coni

filium & verum hæredem ; nec ſe iis, quæ parens in Anglia, inconſultis proceribus, & hærede certo non ante nominato, geſſerit, teneri; nec quicquam authoritatis in Vltoniæ proceres ſibi arrogaſſe, quam majores retroactis temporibus jure ſuo exercuerant. Mox tamen O-Raylium debellavit, Callo-ghum O-Donell captum cum liberis in carcerem condidit, uxorem illius rapuit, ex qua adulterando prolem ſuſcepit, caſtella ejus, agros, & fortunas occupavit, & ut Rex Vltoniæ ſe geſſit. Verum cum Thomas Suſſexiæ Comes Prorex ſigna extuliſſet, perterritus ad Reginam Elizabetham ſupplex venit, & veniam impetravit. Sed cum ad ingenium reverſus, Mac-Guir Dominum in Fermanagh ferro flammaque ſedibus ſuis deturbaſſet, Metropoliticam Armachæ Eccleſiam igne injecto accendiſſet, Dundalkiamque irrito conatu eſſet aggreſſus; prope Dirry & Loghfoil ab Edvvardo Randolpho caſtris exutus, ad Scotos, qui tum in Claneboy æſtiva habebant, cum rapta O-Donelli conjuge confugit; & ab Alexandro Oge & Mac-Gillaſpic fratre ejus cæſus eſt, & pax provinciæ anno 1567 reddita.

Conventus Ordinum Regni paulo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

poſt Dubliniæ habitus. Quorum authoritate Shanus proſcriptus, & pleriſque omnibus Vltoniæ provinciis & præfecturis Regina & ſucceſſores inveſtiti. Legeque ſancitum, ut nemo jam inde O-Neali nomen & titulum ſibi aſſumeret. Aſſumſit tamen paulo poſt Turlogh-Leinigh, natus ex fratre Coni-More, egregia ſemper in Reginam fide, & obſequio.

Hugo Matthæi filius, qui Baro Dungannon dictus, & modo apud ſuos modo in Anglia, in clientela nobilium, diu vixerat, jam ex humili vitæ conditione emergere cœpit, Equitum alæ in bello contra Deſmoniæ Comitem rebellantem ab Elizabetha Regina præfectus; annua mille marcarum penſione aſſignata. fortiter ſe contra rebelles ubique geſſit: demumque libellum ſupplicem in Parlamento exhibuit, ut ex vi diplomatis avo conceſſi in titulum & locum Comitis Tir-oen & in avitam hæreditatem admitteretur. Titulus & locus Comitis Tir-oen ſtatim conceſſus: de hæreditate vero, cum proſcripto Shano O-Neal, Reges Angliæ in eadem inveſtiti eſſent, relatum fuit ad Reginam. quæ benigniſſime conceſſit *ob fidele ejus obſequium præſtitum & præſtandum:* ita tamen ut regio prius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

deſcriberetur, unus & alter locus præſidiis idoneus reſervaretur, nominato munimento ad Black-vvater & filiis Shani & Turloghi proſpiceretur: nec aliquid authoritatis in dynaſtas vicinos extra Comitatum Tir-oen illi permitteretur. Has conditiones lubentiſſime amplexus, gratias cumulatiſſime egit, nec dudum officio defuit: ita ut Regina intercedente, Turlogus Leinigh illi certis conditionibus dominatu ſuo cederet; quo mortuo O-Neali titulum (quod lege capitale erat) ſibi uſurpavit, ita tamen ut factum excuſaret, & ſe eo quamprimum renuntiaturum promitteret.

Corpus illi erat laborum, vigiliæ & inediæ patiens, animus ingens, maximiſque negotiis par, militiæ multa ſcientia, ſed ingenium vaferrimum & profunda inprimis ſimulatione magno Hiberniæ bono vel malo natum.

Sub hoc tempus (anno 1588) è claſſe illa Hiſpanica, plures naves in Vergivio mari perierunt, multique Hiſpani qui enatarant ab ipſo hoſpitio excepti, cum quibus de fœdere cum Hiſpaniæ Rege clam ineundo agitaſſe dicebatur. Detulit hoc non levibus indiciis Hugo Ne-gaveloc Shani O-Neal filius naturalis, quem ille poſtea comprehenſum ſtran-

ſtrangulari juſſit; cujus tamen facinoris, bonis nonnullis reclamantibus, à Regina veniam ſupplex impetravit. vel potius Con Mac Shane, id eſt, filius Shani, ut Morriſonus prodit. Quam accuſationem vaferrime apud Conſiliarios Reginæ eluſit. Verum hominem veluti ſtimulis fodit, quod Prorex nomen Mac-Mahon in regione ſibi proxima ſuppreſſerat, & regionem inter plures ſubdiviſerat, paria ſibi metuens. Simultates quoque inter ipſum & Hiberniæ Mareſcallum, cujus ſororem in uxorem Comes rapuerat, gliſcere cœperunt. Conquerebatur Comes, quicquid Vltoniæ ſuo ſanguine & laboribus ad obſequium Principis reduxerat, Mareſcallo, non ſibi in fructum cedere: falſo ſe apud Reginam ab ipſo læſæ majeſtatis deferri; & Proregem Guilielmum Fitz-VVilliams idem conari. nec fides delationi defuiſſet, niſi Comes ſe judicio in Hibernia vel etiam Anglia ſtiturum literis ſcriptis obtuliſſet. Pro certo habetur, ſub hoc tempus illum & Vltoniæ Dynaſtas occultis conſpirationibus in fœdus coiiſſe, Religionem Romanam ſe defenſuros; (is enim rebellioni color quæſitus:) Vicecomites vel præſidiarios in ſuis territoriis nullo modo admiſſuros; ſe ſua

jura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

jura mutuo propugnaturos & injurias Anglorum propulſaturos. Qui primum claſſicum caneret, Mac-Gvvire protruſus, vir turbidi ingenii. hic cum Gaurano ſacrifico, quem Papa Hiberniæ primatem conſtituerat, Connachthiam eſt ingreſſus, ſed ab Anglis fugatus, primate cum aliis pluribus occiſo; in quo perſequendo Comes non inutilem operam navavit, etiam vulnere accepto. in ſecuritatem tamen ſuam, ut videri volebat, Shani O-Neali liberos intercepit, nec reſtituere voluit.

Anno CIↃ IↃ XCIV Guilielmus Ruſſellus Prorex ſucceſſit. Quem Comes ultro accedens, obnixe petiit ut in priſtinam gratiam à Regina reciperetur. Hinc coram à Mareſcallo accuſatus quod Mac-Guirum in Connachthiam ſubmiſiſſet, cumque ipſo & O-Donello conſilia ſociaſſet, & per fratrem ſuum Mac-Baron, & Conum filium ſuum nothū, in devaſtando Monaghan & obſidendo Inis-Kellin opem tuliſſet; Cumque Conſiliariis quibuſdam retinendus videretur, donec objecta refelliſſet, maxima ſane imprudentia, & contra quam Regina præceperat, ne quidem auditis illius accuſatoribus, dimiſſus eſt.

Domum

Domum itaque reverſus cum audiſſet novum ſupplementum militum ex Anglia & mille trecentos veteranos ſub Ioanne Norriſio adventare; Anglosq; jam Ballingshanon & Belyck caſtra ad exitum lacus Earn cogitare, male ſibi conſcius propugnaculum ad Black-vvater per quod in provinciam ejus Tir-oen patet ingreſſus, ex improviſo adoritur & deditione capit: haud ſegnius tamen Anglis in fide ſe manſurum promittit, & à Norriſio per literas poſtulat, ut mitius ſecum agatur: Sed hoſtis Patriæ & proditor publica præconis voce declaratus eſt anno cIↃIↃXCV, duodecimo die Iunii.

Numerabantur ea tempeſtate in Vltonia apud rebelles plus minus mille equites, pedites 6280, & in Connachthia 2300, plerique belli non expertes, & Comiti Tir-oen addicti: Nec minor Anglorum in Norriſii exercitu numerus. Nihil tamen memorabile geſtum, ob Proregis & Norriſii mutuas, ut creditur, ſimultates; induciæ denique ad certum tempus pactæ. Cupiebat ſane Regina, ut ſanguini ſuorum & ærario parceret, ad quaſcunque conditiones, modo majeſtate ſua non indignas, deſcendere; ſed ea erat rebel-

lium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

lium in petendo inſolentia, ut neutiquam poſſet convenire.

Induciarum tempore elapſo, Norriſius una cum Prorege tanta feſtinatione ad Armachiam uſque proceſſit, ut Comes munimento ad Black-vvater derelicto, villas vicinas & oppidum ſuum Dungannon incenderet, ædes ſuas ibidem magna ex parte ſubrueret, & latebras reciperet. verum cum Angli Dundalkiam reverſi, nihil ultra molirentur; iterum prorepſit, & occultis miſſitationibus ipſe aliique rebelles cum Hiſpano agere cœperunt: cum quo pepigerunt, ut ſi juſtum exercitum, qui par eſſet Anglis profligandis, præfinito tempore Hiſpanus ſubmitteret, ſe ſuas copias conjuncturos, interim ſi apparatum bellicum ſuppeditaret ſe quaſcunque pacis conditiones rejecturos.

His conditionibus alii ſubſcripſerant; ipſe in iis conſenſiſſe non ambigebatur. tamen & literas Regis Hiſpani ad Proregem miſit, & profunda diſſimulatione cum Norriſio pepigit, & pari perfidia mox abrupit. Hinc igitur vicinos agros vaſtat, viculos incendit, prædaſque agit: mox ſcelerum conſcientia exagitatus, & pacem inter Angliam & Hiſpaniam coalituram metuens,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

tuens, colloquia & pacis conditiones denuo expetit.

Tædet integumenta illius diſſimulationis ſigillatim percurrere. ut ſemel dicam, cum aliquid diſcriminis ab Anglis impenderet, fronte, vultu & verbis ita ſubmiſſionis ſimulationem ſuſtinuit, eamque ſcelerum pœnitentiam præ ſe tulit, ut eluderet, donec opportunitas ipſum perſequendi eſſet omiſſa, & neceſſario copiæ diſtrahendæ eſſent. Vt autem illi ſemper crederetur, & ſpes veniæ impetrandæ ſubinde offerretur, & ſocordia Ductorum in Hibernia, & parſimonia Conſiliariorum in Anglia, & Reginæ innata lenitate factum fuit, quæ rebellium latrocinia (neque enim bellum appellandum) ſine ſanguine extingui ſemper optavit.

Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, cum jam univerſa Vltonia ultra Dundalkiam præter ſeptem præſidiaria caſtra (videlicet, Nevvry, Knoc-Fergus, Carlingford, Græene-caſtle, Armagh, Dondrom, & Olderfleete) & tota fere Connachthia defeciſſet, Thomas Baro Burough in Hiberniam Prorex eſt miſſus, vir animi & conſilii plenus. Qui poſt unius menſis inducias in Comitem movit, dubio-

dubioque marte inter anguſtias à Comite exceptus, viam virtute patefecit, & munimentum ad Black-vvater expugnavit, & novis operibus communivit. Sed Comes illud ſtatim obſidione cinxit, & Prorex ex hac vita migravit magno ſui deſiderio relicto; haud ſecius tamen à Thoma VVilliams munimentum hoc fortiſſime defenſum, præſidiariis famem patientiſſime tolerantibus.

Summum interim imperium in Hibernia Comiti Ormondiæ, titulo Locum-tenentis exercitus Generalis, Cancellario, & Roberto Gardinero demandatum. Comes licet ſueta diſſimulatione à pace ſe non alienum oſtenderet, acriter interim bellum adminiſtrabat: Henricus Bagnallus Hiberniæ mareſcallus cum XIV vexillationibus miſſus ut obſidionem munimenti ad Black-vvater ſolveret; à Comite cæſus, & magna de Anglis victoria parta. Secuta munimenti deditio. Clara hæc victoria, & rebellibus inprimis uſui; Comes autem tanta ferocia intumuit, ut Ouny-Mac-Rory, Og-O-More & Tirellum, ex Anglica licet origine, tamen Anglis infeſtiſſimum, cum IIII cIↃ prædonibus in Momoniam immitteret; contra quos ad Kilmalock

lock uſque Præſes provinciæ Thom. Norriſius cum ſatis valida manu acceſſit, ſed hoſte ne quidem viſo, diſperſis copiis, Corcagium ſe recepit. Rebelles hoc conſpecto, magna perditiſſimorum hominum colluvie confluente agros vaſtant, prædas agunt, undiquaque Anglorum arces, ædes & prædia diripiunt & incendunt, eoſque paſſim crudeliſſime trucidant; Iacobum Fitz-Thomas è Deſmoniæ Comitum familia, in Deſmoniæ Comitem, ita tamen ut Comitis Tir oen eſſet beneficiarius, erexerunt, & prædis onuſti ſe receperunt.

Hinc jam Comes, datis ad Hiſpanum litteris, victorias ſuas pleno ore laudat, ſimulque obſecrat, ne credat, ſi forte ab Anglis audiat, ſe pacem expetere; contra omnes pacis conditiones licet æquiſſimas animum ſe obfirmaſſe,& fidem Hiſpano datam conſtantiſſime obſervaturum. Litteris tamen miſſiſque ſubinde nuntiis interea de ſubmiſſione cum Comite Ormondiæ ſimulate interceſſit & iniquiſſima poſtulavit.

Hic erat Hiberniæ ſtatus fere deploratus, cum Regina Robertum Eſſexiæ Comitem, tunc Gadibus Hiſpaniæ captis celeberrimũ, pro ſpectata pruden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

tia, fortitudine & fide Hiberniæ Proregem ad detrimenta ſarcienda deſignat, ampliſſima addita poteſtate belli componendi, ac etiam, quod importunitate quaſi extorſit, remittendi & condonandi in ipſam Majeſtatem crimina, quæ ſemper in Proregum diplomatibus hiſce verbis ſic fuit ante reſtricta, (*proditionibus perſonam noſtram, hæredes & ſucceſſores tangentibus exceptis.*) Exercitus illi decretus quantum poſtulavit, nec Hibernia prius viderat, videlicet ſedecies mille pedites, & Equites mille trecenti, qui poſtea ad viginti millia ſuppleti; & in mandatis datum, ut cæteris quibuſcunque poſthabitis, in Comitem Tir-oen omnem belli tempeſtatem converteret, & ipſum præſidiis ad lacum Foile & Bala Shanon quam primum premeret; quod faciendum ille ſemper inculcaverat, & neglectum fuiſſe ſuperioribus Proregibus criminoſe objectaverat.

Vbi autem in Hiberniam appulit, ſtatim contra ac in mandatis habuit, ſuaſu quorundam è Regio in Hibernia Conſilio, in privata ſua nimis intentorum, omiſſo Comite, adverſus ignobiles quoſdam in Momonia rebelles cum omnibus copiis contendit, captoque Cahir Edvvardi Butleri de

Cahir

Cahir Baronis caſtro, magnoque pecorum numero abacto, rebelles in ſylvas ſaltuſque compulit; & Iulio jam exeunte rediit, militibus graviter affectis & ſupra fidem imminutis.

Cumque accepiſſet, Reginam damnoſam hanc expeditionem acerbe ferre, & illam in Vltoniam omnino urgere, prioris culpa in Conſiliarios Hiberniæ rejecta, illam in Vltoniam ſe quamprimum proſecuturum promittit.

Nihilo ſecius in Offaliam Dubliniæ vicinam movit, & O-Conoros atque O-Moilos ibidem tumultuantes ſatis feliciter levibus præliis contudit. Reverſus cum exercitum multum imminutum deprehendiſſet, ſupplementum mille militum ex Anglia petiit. Certus itaque bellum in Vltoniam vertere Cliffordo Connachthię Præfecto imperat verſus Belick proficiſci cum expeditis cohortibus, ut Comitem diſtineret, dum ipſe alia via ipſum aggrederetur. Cliffordus ſtatim cum mille quingentis profectus, cum à pulvere bombardario minus inſtructus eſſet, ab O-Rorcko cum ſuis cæſus eſt. Interim dum ſupplementum in Anglia conſcribitur, Prorex literis ſignificat ſe nihil aliud hoc anno præſtare poſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

quam eum cIↄ ccc peditibus & ccc equitibus Vltoniæ limites adire. Quo circa Idus Septembr. pervenit, & poſt leves velitationes, res ad colloquium perducta. Comes enim ad ſolitas artes converſus, Reginæ miſericordiam & pacem ſe petere oſtendit: colloquium dein habitum ad vicini fluminis vadum, Balla Chinch vocant, haud procul à Louth primario Comitatus oppido; induciæ hic in ſex ſeptimanas pactæ; atque ita in alias, ad Kalendas uſque Maji, ita tamen ut utrimque liberum eſſet, poſt præmonitionem quatuordecim dies ante factam, bellum renovare.

Dum hæc aguntur, literæ à Regina venerunt quibus acriter cum Prorege & Conſiliariis Hiberniæ expoſtulabat, quod tam pulchra rei bene gerendæ occaſio è manibus amiſſa eſſet, omnia ſecus adminiſtrata quam Prorex ipſe in Anglia cenſuiſſet: quibus commotus Prorex ex improviſo in Angliam trajecit & Reginæ gratia excidit, & infelicem tandem exitum habuit.

In Hibernia autem induciæ vix ſemel atque iterum exierant, cum Comes Tir-oen rurſus bellum movit, Proregis captivitatem in quo ſpem ſuam

ſuam collocarat, & Conſiliariorum Hiberniæ iniquitatem cauſatus. Creſcebat Comiti in immenſum animus, & magnis ex Hiſpania promiſſis, & Romani Pontificis incitamentis quotidie magis inſoleſcebat: &, ut magnitudinem ſuam ubique oſtentaret, ſub religioſo prætextu fruſtulum ligni Dominicæ crucis, quod in Tipperarienſi S. Crucis monaſterio aſſervari creditur, inviſendi, media hyeme eo proficiſcitur, & prædones in fidelium ſubditorum agros immittit Duce Macguiro; qui cum in VVarrhamum Santleger incidiſſet, uterque mutuis vulneribus concidit. Comes autem cum Ormondiæ Comitem Generalem exercitus deſignatum audiviſſet, & Carolum Blunt Baronem Montioy Proregem adventare, domum omnium opinione citius accelerat.

Prorex in Hiberniam appulit anno 1600, menſe Februario, eamque quam afflictiſſimam invenit. Comitem tamen inprimis petere certus, collecta tumultuaria manu, ipſi in Fereal reditum præcludere conatus eſt. in quo tamen fruſtra fuit; nam Comes de Proregis conſilio certior factus, ſumma celeritate prævertit.

Prorex Dubliniam reverſus totus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

erat in delectu veteranorum habendo, qui ad Logh-Foil & Bala-Shanon prope oſtium Erni lacus navigio mitterentur, ut Comitem præſidiis ibi poſitis à tergo & latere premerent; nec non de ſubſidio ad præſidiarios in Leaſe & Ophaly ſubmittendo, quod tot hoſtibus circumfuſis plenum erat periculi & difficultatis. Menſe Maio ineunte ſigna verſus Vltoniam promovit, eo conſilio, ut Comitem diſtineret, dum Henricus Docvvra ad Logh-foil & Morganus ad Balashanon præſidia firmarent. quod illi facili negotio perfecerunt, dum Comes quotidie levibus prœliis, & fere adverſis, aleam belli jam converſam ſentiret.

Iunio menſe ſupplementum ex Anglia petitum, ut præſidium ad Armach collocaretur, & rebelles in anguſtiora ſpatia redigerentur. Interim in Leaſe, quod omnium Lageniæ rebellium perfugium erat, profectus, Ony Mac-Rory-Og principem familiæ O-More juvenem projectiſſimæ audaciæ cum aliis ſceleſtiſſimis occidit, agriſque ferro & igne vaſtatis, rebelles in ſylvas ſaltuſque fugavit.

Novis dein ex Anglia ſubſidiis auctus, brumeſcente jam licet illa plaga cœlo, ad ingreſſum Mogeriæ (Mogery vulgo)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

vulgo) tertio ultra Dundalkiam milliari proceſſit. Tranſitum hunc totius fere Hiberniæ natura impeditiſſimum, & à rebellibus magna vi atque induſtria inter montes, ſylvas & paludoſas voragines communitum, fortiter ſuperavit, & munimenta disjecit, & ad octavum ab Armachia lapidem præſidium communivit, quod ad Ioannis Norriſii memoriam Mount Nurris juſſit appellari. In reditu prope Cralingfordiam rebelles memorabili clade obtrivit.

Media dein hyeme Glinnes in Lagenia convalles, hactenus intactas, ingreſſus, regione depopulata, Donellum Spaniach, Phelimum Mac Feogh & pernicioſam O-Toolorum gentem obſidibus acceptis in ordinem redegit. in Fereal poſtea penetravit, & Tirellum inter rebelles rei militaris peritiſſimum è munimento ſuo expulit, Ferney regiunculam & Fues vaſtavit; præſidium in Breany collocavit: & Drogedam deflectens, multos è primariis rebellium, acceptis obſidibus, in fidem recepit.

Vere appetente, ad Mogheriam profectus, ſuccisis ſilvis, viam aperuit, & omnia rebellium Caſtra ad Armachiam in poteſtatem redegit, & ipſam præſidio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

dio firmavit; & Comitem à Blackvvater ubi ſumma arte caſtra communiverat, ſubmovit.

Dum hæc in Vltonia gereret, Ioannes de Aquila cum bis mille veteranis Hiſpanis & quibuſdam transfugis Hibernis ad Kinſaliam in Momonia appulit prid. Calend. Novembris; qui ſe Magiſtrum Generalem, & ducem Regis Catholici in Dei bello pro fide tenenda in Hibernia profeſſus; Reginam Pontificis ſententia à Regno abdicatam; ſeque adveniſſe, ut Hiberniam è faucibus Diaboli & tyrannide Anglorum liberaret: quo ſpecioſo obtentu pernicioſos multos in partes ſuas pellexit.

Prorex contractis undique quas poterat copiis, ad obſidionem ſe accingit, & Richardus Leveſon ſubthalaſſiarcha ex Anglia cum una atque altera navi regia adveniens portum occludit. Interim Comes Tir-oen aliique rebelles, aliis duobus millibus Hiſpanorum qui ad Berehaven & Baltimore & Caſtlehaven deſcenderant, acceptis; ita ut ſex millia peditum & quingentos equites in exercitu numeraret; ad XXI Decembr. in colle mille plus minus paſ. à caſtris Proregis ſe oſtendit & ibi caſtra metatus eſt. Fruſtra dein tentavit Comes

mes in oppidum perrumpere, & memorabili prœlio à Prorege profligatus eſt; captus Alphonſus Ocampo cum tribus Hiſpanorum ductoribus & ſex ſigniferis; cæſi cIↄ cc; ſigna IX capta, quorum ſex Hiſpanica fuere: Anglorum vix unus & alter deſiderati, multi vulnerati. Maximi momenti hæc victoria fuit: Comes in Vltoniæ latibula rejectus, O-Donellus in Hiſpaniam fugatus; bonorum animi erecti, rebellium ſpes labefactatæ.

Dein cum Hiſpanos jam obſidionis tæderet, cum ipſis in haſce conditiones Prorex convenit, ut Hiſpani Kinſaliam, caſtra & munimenta ad Baltimore, Berehaven & Caſtlehaven Proregi dederent, cum vita, bonis, & ſignis explicatis diſcederent, Angli naves quibus uno & altero commeatu in Hiſpaniam navigarent, juſto pretio dato præberent, in Angliæ portubus ſi forte appellerent, comiter acciperentur, & interim dum in Hibernia ventos expectarent, numerata pecunia ad victum neceſſaria ſuppeditarentur. His actis, Hiſpani haud multo poſt numeris multum imminutis ex Hibernia ſolvunt. Comes, plurimis ſuorum in itinere deſideratis, trepida fuga ſe in latibula ſua recepit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ProrexDubliniam ſe recepit ut militem reficeret: dein in Vltoniam regreſſus, Aquam nigram ratibus, Floates vocant, ſuperavit; & vado prius ignoto infra vetus munimentum reperto, propugnaculum ad ripam ponit, quod è ſuo nomine Charlemont dixit: hinc Comes territus, ædibus ſuis ad Dungannon ignem ſubiecit; Prorex autem ultra Dungannon movit, & longe lateque ſegetes excidit, vicos incendit, agroſque depopulatus, munimenta in Logh-Crevv, Logh-Reogh, & Mogherlecovv, deditione accepit, præſidium ad Logh-Eaugh ſtatuit, quod Montioy dictum, alterumque ad Monaghan.

Cum itaque in arctum concluderentur rebelles, multi ſe recipere, & ſecreto ſe Proregi ſubmittere cœperunt. Nec latuit Comitem concuſſam eſſe ſuorum & fidem & vires; itaque & ipſe demiſſiſſimis literis ſubinde ad Reginam datis veniam deprecari cœpit; cumque à ſui ſtudioſis accepiſſet, Proregi à clementiſſima Regina poteſtatem datam ipſum in gratiam recipiendi; per fratrem ſuum Arth Mac-Baron & alios cum Prorege egit, & menſe demum Februario, cum pollicitus eſſet ſe abſolute vitam ac fortunas

Prin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Principi ſine ulla conditione ſubmiſſurum, uno ac altero comitatus ad Mellifontem acceſſit, & coram Prorege proſtratus, peccatum in Deum, & culpam in benigniſſimam Principem agnovit, cui, ut de ipſius vita & fortunis pro arbitrio ſtatuat, permittit. Cujus quondam benignitatem, modo potentiam ſenſerat, nunc ut lenitatem experiatur & æternum eſſet regiæ clementiæ exemplar, demiſſiſſime contendit. Nec enim ſibi vel ætatem adeo eſſe effœtam, vel corpus affectum, vel animum infractum, quin forti & fideli opera rebellionem hanc poſſet expiare. Vt tamen crimen extenuaret, iniquius ſecum actum eſſe invidia quorundam dicere incepit.

Hic plura locuturum Prorex interrumpit, excuſationem nullam tanto crimini prætexendam; & paucula alia, ſed multa cum authoritate, locutus, ſecedere juſſit, poſtridieque ſecum Dubliniam abduxit, inde in Angliam ad Reginam adducturus, ut pro arbitrio de illo ſtatueret.

Interea autem optima illa Princeps paulo poſtquam per nuntios acceperat (ne quid gloriæ ſuæ deeſſet) hanc rebellionem eſſe extinctam, quæ

quæ illam anxiam habuerat, in cœleſtem patriam pie placideque emigraverat. Itaque quam à Regina veniam Comes impetraverat, Rex Iacobus confirmavit.

Ita bellum Hibernicum (inquit Camdenus) imo potius rebellio Comitis Tir-oen ex privatis ſimultatibus ambitione intermixta cœpta, contemtu principio & parſimonia ex Anglia fota, prætextu libertatis & religionis Romanæ reſtaurandæ per univerſam Hiberniam diffuſa; pravis Anglorum æmulationibus, veteranorum avaritia, ſubdolis Comitis artibus & ſimulatis ſubmiſſionibus, impeditiſſima locorum difficultate, deſperato hominum genere, magis pedibus quam armis tuto protracta; levi nonnullorum crudelitate & aliorum qui authoritate valebant occulto favore, uno & altero eventu proſpero, Hiſpano ſtipendio, Hiſpanoque milite confirmata, octavo poſtquam eruperat anno, auſpiciis Elizabethę divæ memoriæ, ductu Proregis Caroli Blunt Baronis Montioy (quem poſtea hoc nomine Rex Iacobus Comitis Devoniæ titulo honoravit) feliciſſime confecta eſt, & pax, ut ſperamus, immota conſtabilita.

Porro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Porro quis fuerit Hiberniæ poſterioribus hiſce annis poſt extinctam Com. Tir-oen rebellionem ſtatus, ex Morriſono hic attexemus. Anno cIↃIↃc XIII cum certis de cauſis in Hiberniam (inquit) trajeciſſem, offendi ſtatum totius regionis multum immutatum. nam poſt Comitum Tir-oen & Tirconell, aliorumque aliquot Dynaſtarum in ſeptentrionalibus Hiberniæ partibus, è patria fugam, D. autem Cahiri O-Dogerti, qui ſe ſuperioribus hiſce in novis turbis concitandis conjunxerat, interitum, tota illa Hiberniæ pars, quæ ad arctum vergit, à novis aliquot Anglorum, multo pluribus autem Scotorum coloniis erat occupata & poſſeſſa.

Mere Hibernici non tantum in ſeptentrionali illa plaga, ſed per totam Hiberniam patienter jugum ferebant, nuſquam potentes, niſi forte in Connachthia, ubi ne quidem potentia eorum ullatenus timenda quandiu Anglo-Hibernici in fide & obſequio Principis ſui perſtabunt.

Verum Anglo-Hibernici ubique (præcipue autem in illa parte quam vulgo the Pale appellant) ſive ex nimia noſtra erga ipſos benevolentia vel potius indulgentia, poſt poſtremam illam rebel-

rebellionem (à qua multos eorum non abhorruiſſe ſatis conſtat) ſive ex obſtinato ſtudio papiſticæ religionis, etiam in iis quæ temporalem Regis poteſtatem imminuunt, (quod Rex ſancto propoſito obnixe corrigere conabatur) ſive ex nimia omnium rerum abundantia tempore pacis (quam nulla gens aut avidius ingurgitat aut citius faſtidit, quam Hiberna) ita efferebantur, tantoſque animos ſibi ſumſerant, ut nuperrime Parlamentum, quod Rex ad publicam Regni utilitatem convocari juſſerat, ſeditioſe abruperint deſeruerintque; atque ab illo tempore non deſtiterint graves querelas adverſus Anglicos gubernatores (potiſſimum autem adverſus Proregem ejuſque miniſtros) inſtituere & clamoroſe deferre, atque ita per illorum latus Regiam authoritatem graviter lædere. Vbique plebei homines affluere, nobiles vero & militares ut plurimum egere, atque ita ad prædas agendas proclives.

Momoniæ incolæ, qui jamdudum veterum ſuorum privilegiorum confirmationem impetraverant, quibus ipſis nimia libertas vel potius licentia concreditur, non modo ſegnes in obſequendo, ſed & ſtrenui in refragando

erant,

erant, præſertim in iis quæ religionis cauſa jubebantur. Quippe tanta Sacerdotum illuvies (quorum multi contra conditionem religioſorum perniciofis conſiliis & militaribus diſciplinis imbuti, & ad quidvis audendum idonei) hanc provinciam inundarat, ut militum præſidiariorum numerum longe ſuperarent; quippe copiis militaribus pene exhauſtis. Præter hos multi nullius frugis è Belgio in hanc provinciam quotidie advolant, qui ſub Archiduce in Hibernica legione meruerunt, & plures indies ad eandem legionem ablegant, ut ſibi armorum uſum comparent, eoque comparato, in eundem modum revertantur; ipſi interim hic in angulis muſſitant, nil niſi ſeditiones & rebellionem, ubi occaſio ſeſe offerret, ut proclive eſt credere, meditantes.

Quin etiam in juſtitiæ publicæ adminiſtratione, licet Anglicis juriſconſultis, qui poſt poſtremam rebellionem miniſteria ſua in Hibernia obierant, omnia ad legum obſequium compoſita viderentur, multum publice privatimque peccabatur. nam Hibernici Iudicum Anglicorum ſubſellia frequentes quidem adibant, non tam ut legibus, ut par erat, deferrent, eiſque debitam

bitam obedientiam præſtarent, quam ut iis, qui ingenium & mores eorum haud ſatis perſpexerant, imponerent, & innocentiam ſuam ſimulate probarent, atque non raro antecedentium judiciorum, quæ ab Gubernatoribus aliiſque regiis miniſtris, quibus ipſorum malitia melius perſpecta erat, lata erant, vim enervarent atque effugerent. Ipſique dynaſtæ ad limites ſuarum provinciarum judicibus Anglicis præſto erant, non tam ut obſequium ſuum, ut Iudices falſo ſuſpicabantur, teſtarentur, quam ut ſubditos ſuos præſentia ſua deterrerent, ne quid querelarum adverſus dynaſtas ſuos ad tribunalia judicum deferrent. Etenim ne quidem inter Anglo-Hibernos jus ex æquo dicebatur, & inter inferiores juſtitiæ adminiſtros inde à Conſtabulariis ad provinciarum Eirenarchas omnia confuſa erant, multaq; ab Anglo-Hibernis & mere Hibernis licentioſe & violenter adverſus novos Hiberniæ ex Anglia Scotiaque colonos quotidie deſignabantur.

Quibus omnibus fiebat, ut, cum Hiberniam, jam poſt bellum tam feliciter extinctum, & mere Hibernicos perdomitos, optatos pacis fructus carpere oportuiſſet, novæ turbæ, graviuſque ſedi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ſeditionum incendium à degenere Anglo-Hibernicorum colluvie merito metueretur. Sed pacis vere amantes erigebat fiducia de Regis potentia & juſtitia, aliiſque heroicis virtutibus concepta, quem haud fruſtra ſperabant gliſcenti rebellioni in tempore ſalutare frenum impoſiturum. quæ fiducia eos nequaquam fefellit. nam anno cIɔ-Iɔc xiv tribus regni Ordinibus ad parlamentum in oppido Dublinenſi convocatis, unanimi conſenſu & ſalubres leges ſubditorum animis in officio & obſequio continendis latæ ſunt, & pax publica reſtaurata.

Alebat tum Rex Angliæ in Hibernia equites ducentos duodecim; pedites M cccc ſub variis tribunis. Præſidiarios inſuper trecentos triginta quinque, in arces & caſtella, quæ paſſim extructa, exiguo admodum numero diſtributos.

Caſtellorum autem & arcium nomina hæc ſunt:

Dublinenſis arx.
Philips tovvne.
Dungarnan.
Limiricenſis arx.
Haſebolim.
Ballenfad.
Carickfergus.
Mount Norris.

Toome.
Donnegal.
Eniskellin.
Faulke Convvay.
Maryborough.
Duncannon.
Caſtle maigne.
Caſtle parck,
Athlone.
Dromruske.
Moyry.
Omey.
Doe.
Cloughaughter.
Eniſhlaughlin.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

APPENDIX DE SCOTIA ET HIBERNIA, & utriuſque gentis moribus.

Ex Ioannis Barclaii Icone Animorum.

BRITANNIA in ſeptentrionem excurrente, Angliam Scotia excipit, inclyto ſceptro ſupra fidem & ætatem Regnorum cæterorum: quippe viginti jam ſeculis ſui imperii fortunam in unius familiæ hæreditatem ſervavit. Centum & octo Reges à primo Fergusſio in Iacobum Britannicum numerantur; qui tot Regibus Anglicam nobilitatem addens, nunc primum uno imperio omnes Inſulæ partes junxit. Scotis animus ad humanæ conſuetudinis culturam facilis, corporis habitus ſupra multas gentes decens, cæteraque cum Gallis communia, præter ſoli ubertatem. Nam regio ad ſeptentrionem porrecta, nec frumento ubique idonea, multis locis ſteriles montes habet, neque illos ſaltem nemoribus indutos, præterquam ea plaga quæ horridius in cœlum exurgens, ſilveſtre &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

barbarum cognomen incolis ſuis fecit. Fortiſſimæ tamen genti multum cibum, de avium, ferarumque, armentorum etiam, & gregum frequentia, natura paravit. Trecentorum cervorum, aut amplius, agmen videre non inſuetum. Multo plures incolarum induſtria cogit ad venantium Procerum voluptatem. Neque ex patriis bonis deſunt, quæ advectis exterarum gentium mercibus ad neceſſarios uſus permutent. Sed inopiam æris nullo artificio emoliuntur. Sic in patria facillime degentes, etiam numeroſis clientibus graves, non in exteris locis ſimili cultu, & fortunæ ſuæ pari, vivere poſſunt. Nulli tamen magis memores ſuæ ſtirpis; adeo ut familiæ decus malint interdum ſua paupertate fædare, quam ſupprimere intempeſtivos titulos, & ſuæ cognationis parumper obliviſci. Nam in regione virorum fœcundiore, quam frugum, neceſſe eſt clariſſimi ſanguinis multos in egeſtatem naſci; quibus per diverſa terrarum quęrentibus opes (nec alii fide, aut induſtria, præcellunt) & ad præconia ſuæ nobilitatis obſtinatis, ſæpius audientium riſus, quam lachrymæ, & fides, acceſſit.

Ipſam autem regionem, in ſe quoque

que animoſam, paſſim inimicitiæ exercent, ſupra fas humanitatis aut odii etiam ſævæ. Quippe per familias, & cognomina, diſcreti, ſuarum gentium principes habent, illos, qui in antiquiſſimam familiæ hæreditatem ſucceſſerunt. Eos ita obſervant, ut vix patriæ charitas major ſit; & ad ipſos læſi confugiunt, patrocinio viribuſque ſuæ familiæ uſuri. Ita ſæpe modica jurgia, & inter obſcuros, magnis & indignis motibus ſuffecerunt; Dum utrimque jurgantes apud illos ſuæ gentis Principes dequeſti, privatas contumelias in ipſarum familiarum injuriam vertunt. Neque rem modico ſanguine peragunt; Interdum in agmen & veluti aciem coacti deſæviunt, & inſita inimicitiarum vis in hæredes quoque abit. Cædem cæde repenſare, decorum: incendia alternis ignibus vindicant. Nec aperto tantum Marte; inſidiis, fraudibus, agunt. Nihil turpe, aut ignobile, ſatianti oculos inimicorum malis. Et hæc peſtis ſæpe Optimates evertit; ſive inter ejuſmodi arma extinctos, ſive frequentium ſtipatorum (nam ſuſpectam vim inimicorum ita ſubmovere neceſſe eſt) ſera inopia, diſtractiſq; fundis luentes; Etiam quod ut plurimum regio arboribus caret,

quidam putant illorum odiorum facinus eſſe; dum adverſis facibus inimicorum ſylvas cremant, & privatis injuriis vaſtitatem patriæ faciunt. Sed hæc olim deflenda dolentius, cum indies iſta arma ſævirent. Nunc placidis rebus, quam ſentire meliora, tam licet augurari. Quanquam enim tantum nefas ſubmovere non fuit in veterum Regum manu, proceribus fide clientum numeroque ferocibus; tamen patriæ ſuæ hoc demum Iacobus Britannicus beneficium dedit. Is cum adhuc uni Scotiæ imperaret, hanc publici mali cauſam habuit in præcipuis regni curis. Sed pigebat, illi peſti per partes, & plerumque inutili ſolicitudine, occurrere: nec enim poterat ullis jurgiis vera pax ſtatui, niſi ſimul omnia componerentur; cum exempla ejuſmodi criminum, illiſque venia, neceſſitate temporum frequens, omnes ſolicitarent ad parem audaciam; ſaltem ne timidas, aut degeneres iras geſſiſſe viderentur. Semel itaque & in perpetuum placuit hæc odia aboleri. Ipſe Rex eorum rationem inivit, quorum familiæ & rixæ eminebant. Precibus, & authoritate fractos, partim per ſe partim per Senatus ſui delectos, ita reconciliavit, ut vix amplius in tota

Regio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Regione tam aſſueti facinoris acerbitas nominaretur; Ingens opus, nec à ſapientiſſimo & diligentiſſimo Rege, niſi multo tempore, & mira felicitate abſolutum. Iam biennium erat ex quo pacaverat Scotiam, cum ad Angliæ ſucceſſionem vocatus eſt; ingenti auſpicio ad hanc novam Scotorum ſanitatem; quippe tot viribus auctum Regem nunc vero & ſalubri metu colentium.

Scotis præceps ad omnia animus quæ ſpes ſemel perſuaſit, cui maxime credunt; Iracundia in promptu, ſed quam facile poſt primos impetus mitigant. Quærere opes, quam ſervare, meliores; Sive quod indoles fortuna ſua major inconſultæ liberalitatis impetu laborat, amatque opulentiæ famam; ſive patriæ ſuæ more decepti, ubi ad nummos pervenerint, qui in Scotia felicitati ſufficerent, jam de inopia ſunt ſecuri, neſciuntque in unaquaque regione cum auri argentique frequentia ſumptus quoque & rerum pretia convenire; ut nec facile ingens pecunia quæri poſſit, niſi ubi effuſiſſime ſolet expendi. Animi illis in quæcunque ſtudia inclinant, mirifico ſucceſſu inclyti, ut nullis major patientia caſtrorum, vel audacia pugnæ; &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Muſæ nunquam delicatius habeant, quam cum inciderunt in Scotos. Etiam urbanis negotiis pares, ad omnis fortunæ vitæque genera ſuam induſtriam aptavere. Vagis porro, nec ex dignitate peregrinantibus, adeoque non alia nitentibus ope quam ut ſuę gentis hominum, qui in externis regionibus ſibi divitias peperere, ineant domos, exigantque velut patriæ vectigal, nihil eſt ſuperba mendicitate deterius.

INſula Britannicæ plagæ vicina, ſub eodem Imperio, Ierna antiquis, mox Hibernia appellata; ſpatiis ingentibus diffunditur, navibus per commoditatem portuum facilis, neque ex quorundam incolarum illuvie æſtimanda. Quippe multa felicitate colonos ex Anglia Scotiaque invitat; humenti quidem cœlo, ſed ſalubri, & quod animalia veneno infeſta impune non hauriunt. Lacerti bufoneſque ibi delati non vivunt. Exportatæ arbores nullo ſitu concipiunt vermes, aut incuria araneas admittunt. quamquam & ſuas Hiberni araneas, ſed illas innoxias, habent. VVeſtmonaſterii ampla ſedes, ubi jus litigantibus dicitur, ex illis ſylvis trabes accepit, & efficta multa arte tabulata. Mirum dictu; araneis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

araneis circum parietes pendentibus, vix ligno tam ſordidę texturę filamenta adhæreſcunt.

Hibernis, qui ab oppidis cultuque receſſerunt, mira cujuſvis aëris cibique patientia, paupertatis longo uſu. Victu parabili, ſemicruda fera, vel bove ſatiant famem, cibum temperant lacte, fragiles domos ad altitudinem hominis excitant, ſibi pecorique communes. Et hoc in illa gente mirum: Amor deſidiæ reliquas gentes emolliit; Hibernos duravit ad bella. Quippe per ignaviam fertiles campos illis colere, ac ſerere, pene ignotum. Pabulo, & telluris genio ad armentorum alimenta contenti ſunt. Artificia quoque non exercent, tanquam maculatura nobilitatem, quam tantopere jactant. Ita turpi ocio exigunt vitam;& incommoda ex ea barbarie frequentia, patientia quam laboribus malunt refellere; tantaque eſt ignoratio deliciarum, ut nec ſentiant mala. Simplici veſte imbrem & frigora tolerant, venatibus ad celeritatem perveniunt feris parem; feſſis, vel nocte deprehenſis humus ſufficit; contectoſque nivibus, vel imbre diffluentes, prius ſaties quietis quam cœli injuriæ excitant; Pulchra fortitudinis bellique rudimenta, ſi non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

ex tam fœda ſegnicie. Et has ſordes ne in pace quidem excutiunt, communione Anglorum, vel æmulatione Hiſpanici moris; vitamque tot malis horrentem, veluti curis vacantem, diligunt, improba libertatis ſpecie capti, quæ perdiverſas fraudes variis gentibus illuſit. Illis animus ad ſua vitia obſtinatus, labori averſus, & per hoc omni frugi; acer ad furtum, & prædam, omnemque laborem qui venationem imitatur. Et hæc quidem ignavæ plebis mala. Optimates ſyncera fide multi, eximios animos dignis ſuo ordine virtutibus excolunt. Etiam qui in urbibus degunt, aut amœnioribus pagis, non mediocri humanitate adornantur. Ita probant, feram illam populi partem, ſua ſponte barbaram, non Inſulæ fato in illa vitia factam eſſe.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Svmma Privilegii.

Illuſtrium & Præpotentium D.D. Ordinum fœderatarum Belgiæ provinciarum decreto cautum eſt Bonaventuræ & Abrahamo Elzeviriis, *Academiæ Leydenſis typographis, Ne quis præter illorum aut hæredum voluntatem toto decennio proximo, his in regionibus excudat, aut alibi extra provincias excuſum inferat vendatve librum hunc, cui titulus,* Reſpublica ſive Status Regni Scotiae & Hiberniae, &c. *Quod ſi quis contempta auctoritate, directe vel indirecte, librum hunc, totum, vel partem ejus, hoc ſive alio modo, extra dictum temporis intervallum typis mandare, vel impreſſum alibi in has oras inferre & vendere præſumpſerit; confiſcatione exemplarium, mulctaque inſuper ſexcentorum florenorum damnas eſto; uti latius patet in ipſo privilegio, dato Hagæ in conventu D. D. Ordinum Generalium,* XV *Maji,* MDCXXVI.

G. V. Hertevelt V^{t}.

Ad mandatum Præpotentium D. D. Ordinum General. ſſ.

I. van Goch.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

LVGD. BAT.
Ex Officinâ ELZEVIRIANA.

Anno cIↃ IↃc xxx.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 47